



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

Juris Canonici A. R.P. Paulo Laymanno Societatis Jesu Theologo SS.  
Canonum In Alma, Catholica, Et Episcopali Universitate Dilingana  
Professore Qvondam Ordinario, Prælectionibus Academicis Illustrati

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1673**

Titvlvs XXIV. De Ivreivrando.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62587](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62587)

# TITVLVS XXIV.

## DE IUREIVRANDO.

**I**N defectu aliarum probationum frequenter in iudicio recurritur ad iuramentum, quia maximum expediendarum litium remedium est iurisiurandi religio. *l. 1. de iureiurando.* igitur postquam de probationibus in genere ac specie dictum est, subiungitur de iureiurando.

### CAPITVLVM I.

#### Ex administrationis.

##### PARAPHRASIS.

Creditores qui pacti de vsuris soluendis iuramenta à debitoribus exegerunt, ad eorundem relaxationem per Ecclesiasticas censuras compellantur.

##### SVMMARYM.

1. *Debitor vsuras juratò promittens, non obligatur quidem ad eas soluendas ex iustitia erga hominem, sed ex Religionis virtute erga Deum.*
2. *Creditor cui jurata vsura promissio facta est, ex iustitia obligatur ad iuramenti remissionem, quâ facta debitor liberatus est coram Deo.*
3. *Si creditor relaxare iuramentum nolit, potest à iudice cogi, vel creditore nolente, ipse iudex relaxare.*

**N**ota I. Tametsi debitor, qui vsuras promissit, ex vi pacti non obligetur ad soluendum, si tamen promissioni iuramentum adiecerit, obligatur non quidem ex iustitia erga hominem, sed ex Religionis virtute erga Deum. Prior pars ex eo constat, quia vsuræ titulus iure naturali iniustus & irritus est, siue, vt aliis verbis dicam, per vsurariam pactioem, vel contractum

nullum jus acquiritur. *c. Cum iamē. 5. c. Tua. 9. de vsuris, & docui lib. 3. tr. 4. c. 16. n. 6.*

Altera pars continet duo membra, Prioris ratio est, quòd iuramentum non possit esse confirmatorium pacti seu promissionis, nisi ea saltem aliquo modo naturaliter subsistat, aliàs irrita erit, quia quod non est, confirmari non potest, vt docui *l. 4. tr. 3. c. 8.* Atqui pactum seu promissio vsuraria iure ipso naturali irrita est, nullamque ex iustitia obligationem pariens. ergò pactum vsurarium iuramento non confirmatur.

Alterum membrum probatur ex *reg. can. cap. 2. De pactis in 6. cap. Si verò. 8. hoc tit.* Iuramentum homini præstitum seruari debet, quotiescunque sine peccato, siue salutis dispendio (intellige ex parte jurantis) seruari potest; atqui is, qui creditori iuxta promissionem ipsi factam vsuras soluit, eâ re non peccat, adeòque eâ re iuramentum implere potest, vt docui *cit. tract. 3. cap. 2. num. 1.* & tradit hic *Abbas* & alii cum aiunt, quòd vsuræ pactio turpitudinem contineat ex parte recipientis, non ex parte promittentis, aut soluentis; sequitur itaque, quòd vsuras cum iuramento promittens, ad earum solutionem obligetur, ob diuini Numinis reuerentiam.

Not. II. Creditor, cui jurata vsuræ promissio facta est, ex iustitia obligatur ad iuramenti remissionem, eâque factâ remissione etiam coram Deo liberatus est debitor.

Prior pars ex eo constat, quia quisque ex iustitiæ virtute obligatur, vt ab actibus iniustitiæ absteat; constat autem Creditorem contra iustitiam peccaturum, si vsuram promissam recipiat. igitur ex iustitia obligatur, vt nolit recipere, adeòque liberet promittentem obligatione suâ.

Altera pars inde ostenditur, quia quodvis iuramentum in hominis gratiam editis,  
hanc

hanc tacitam seu virtualem conditionem haber, si promissario gratum fuerit, siue nisi is remiserit, aut condonarit. Vti dixi *cod. tr. 3. c. 9. n. 4. conclus. 3.*

3 Not. III. Si creditor in tali casu iuramentum remittere nolit, Judex eum cogere potest ad relaxandum, vel eo renitente, ipsemet illius Magistratus relaxationem facere potest, quia in hoc casu factum Iudicis supplet factum partis. Sicuti in simili docent DD. *l. Si ob causam, C. de enit.* quare etiam Magistratus secularis relaxationem facere potest, si promissio, vel contractus ad forum eius pertineat, & constet de obligatione recipientis, quod turpiter iuramentum receperit, & ille ad eius remissionem obligetur, vti docet *Abbas inc. seq. n. 3. Sanchez. l. 3. Moral. c. 22. n. 16. Molin. tract. 2. d. 149. n. 12. & dixi cit. tr. 3. c. 11. n. 9.*

## CAPITVLVM II.

## Pervenit.

## PARAPHRASIS.

Arnulphus Comes Laudicensem Episcopum rebus suis spoliavit, eumque ad iurandum compulit, quod ablata repetere nolit, hoc audito, Pontifex respondit, Episcopum ex iuramento obligationem non contraxisse; veruntamen ad cautelam se eum à coacto isto iuramento absolueret, videtur sermo esse de rebus Ecclesie, quæ quodammodo Episcopi sunt, videlicet quoad utilitatem.

## SUMMARIVM.

1. *Prelatus rebus Ecclesie spoliatus, iurans se non repetiturum res ablatas, nullam ex iuramento obligationem contrahit.*

NOT. vnicum. Si Prelatus rebus Ecclesie spoliatus iuravit se non repetiturum, nullam ex iuramento obligationem contrahit, ita habetur in *text. & infrac. Sicut. 27. hoc tit. & docet glossa verb. Rebus. & verb. Possit. constringi. Ioan. Andr. hic. Abbas. num. 4.*

Probatur primò. Iuramentum, quod est

de re illicita, obligationem non parit, quia iuramentum non est vinculum iniquitatis. *C. Quemadmodum. 25. hoc tit.* atqui iuramentum hoc de re illicita est; cum enim Prelatus ratione publici officij ex iustitia obligatus sit ad res Ecclesie, quæ iniuste alienatae, vel ablatae sunt, repetendas, c. *Si quis Presbyterorum. 6. de reb. Ecclesie non alienandis*, sequitur, quod iuramentum de non repetendo sit de re illicita, & consequenter non obligatorium.

2. Iuramentum promissorium non valet, quatenus cedit in injustum præiudicium personæ tertiæ, Ecclesie, vel communitatis, siue, vt aliter dicam, quatenus cedit in præiudicium Juris publici, aut juris Superioris. c. *Venientes. 19. juncta glossa magna hoc tit. c. Si diligenti. 13. de foro competente.* Sed dictum iuramentum cedit in præiudicium Ecclesie, & publici juris, cum Prelatus non sit Dominus rerum Ecclesie, sed administrator & custos c. *Fraternitatem. 2. de donat.* Quare quod in hoc capitulo Papa absoluit Episcopum, id intelligi debet ad cautelam; vel absoluit eum, id est, sententialiter declaravit liberum esse à iuramento, sicut in simili habetur. *cap. Absoluimus. 4. juncta gloss. caus. 24. q. 1.*

## CAPITVLVM III.

## Pervenit.

## PARAPHRASIS.

Promissum non infringit, qui in melius mutat, neque etiam aliquis fidem per iuramentum alteri cum conditionibus datam seruare cogitur, si constet illum conditiones non seruare.

## SUMMARIVM.

1. *Promissum etsi iuratum non infringit, qui illud in melius commutat, quo sensu hoc verum.*
2. *In reciproco pacto, etiam iurato, conditio hæc suapte natura inest, si altera pars, quacum contrahitur, conditiones sibi prescriptas seruet.*

Prima

**P**rima Regula notand. Promissum quamvis juratum sit, non infringit, qui in melius mutat, intellige hoc, si promissario, seu illi, cui promissum, gratius & acceptius sit; quare si Deo quidpiam promissum, aut juratum est, semper in aliud opus, quod absolute melius, & consequenter Deo gratius est, propria auctoritate commutare licet. Vti docui *l. 4. tr. 4. c. 8. n. 19.* Sin autem homini seu in fauorem hominis iuramentum promissorium editum sit, non potest jurans promissum in aliud opus, etiam si Promissario melius sit, commutare, ipso invito seu acceptum non habente, sicuti hic docet *Abbas & Felin. n. 2.* & sumitur ex *l. 2. §. Mutui. ff. de reb. creditis.* Vbi habetur, quod aliud pro alio creditore invito, solui non potest.

Altera Regula. In reciproco pacto, fœdere, aut transactione, tamen si jurata sit, cōditio si apte naturā inest, si altera pars, quācum contrahitur, aut fœdus inicit, cōditiones sibi præscriptas obseruet, at verò fidem frangenti, fides seruanda non est, vti docet *gl. in l. Cum preponas. 21. C. de pactis.* & habetur in *regula 75. in 6.* frustra quis fidem sibi postulat seruari ab eo, cui fidem à se præstitam seruare recusat.

Adde non esse improbable, quod *Sanob. l. 3. Mor. c. 17. n. 16.* dicit, huic doctrinæ locū etiam esse, si quis absolutam gratuitam promissionem iurata fecerit, v.g. se mutuo daturū, promissarius autē alij suo debito nō satisfaciatur, quod jurans propter ingratitude illius resilire possit à promissione, nam talis revocatio gratuitæ promissionis propter ingratitude secundum se concessa est. Vti tradit *Molin. tr. 2. de Inst. d. 272. n. 10.* Ergo etiam accedente iuramento licita manet, quando quidem iuramentum fortitur naturam & conditiones actūs cui adiungitur. c. *Quemadmodum. 25. hoc tit.*

## CAPITVLVM IV.

Ego N.

## PARAPHRASIS.

Episcopus in sui ordinatione iuramentum præstare debet, i. Fidelitatis & obedientiæ seruandæ erga sedem Apostolicam &

Romanam Pontificem canonicè electū, dein quod Papatum Ecclesiæ Romanæ & Canones, seu Regulas SS. PP. defendere velit ac retinere contra omnes homines, salvo Ordine suo, i. e. quatenus spectata Ordinis sui dignitate ac statu honestè ac deceter potest. Et quod vocatus ad Synodum, nisi Canonicum obstiterit impedimentum, accedere velit, Legatum quoque Apostolicæ sedis, si certum esse cognoverit, in eundo & redeundo honorificè tractare, & in necessitatibus adiuuare velit, denique quod limina Apostolorum annis singulis, per se vel per certum nuntium visitabit, nisi huius rei remissio ab ipso impetretur.

## S V M M A R I V M.

1. *Episcopi & Prælati exempti, si dignitatem aut electionis suæ confirmationem à Papa accipiunt iuramentum sedi Apostolicæ edere debent.*
2. *Episcopus metu secularis potestatis consentiens in læsionem immunitatis Ecclesiæ, agit contra prædictum iuramentum.*
3. *Vocatus etiam à Metropolitano ad provinciale, à Papa ad generale concilium, comparere ipsemet, vel impeditus per legatum tenetur.*
4. *Episcopi singulis annis ad limina Apostolorum venire debent, nisi ea obligatio eis remittatur.*
5. *Sufficit tamen ut remoti ab Italia, itinere saltem duorum dierum de statu Ecclesiæ suæ scripto doceant.*

**N**ot. I. Episcopi in suo ordine iuramentum edere debent sedi Apostolicæ, imò non tantum Episcopi, sed & alij omnes Prælati exempti, si dignitatem aut electionis suæ confirmationem à Romano Pontifice accipiant, sicuti hic testantur *Ioan. Andr. Abbas. Felin. in principio.*

Not. II. Episcopus qui timore secularis potestatis consentit in Iurisdictionis aut Immunitatis Ecclesiæ læsionem, agit contra iuramentum Apostolicæ sedi editum, quod Papatum & Regulas SS. PP. contra omnes

a a a homi-

homines defendere velit. Veruntamen si inter Papam & Christianum Principem bellum oriatur circa temporalia, non tenetur Episcopus adiuuare Papam, cum non sit vassallus eius, nec ipsi in ordine ad iura eius temporalia, sed in ordine ad Papatum, seu Papalem jurisdictionem ac potestatem iuramentum ediderit.

3<sup>o</sup> Not. III. Si Episcopus à Metropolitano ad Synodum Provinciale vel à Papa ad generale Concilium vocetur, comparere ipsemet debet, nisi impedimento necessario detentus sit, uti etiam habetur in *c. Si Episcopus 13. dist. 18. ubi glos. verb. Præceptione*, moner, sufficere vnam citationem, ut Episcopus tanquam inobediens puniatur, licet in judicialibus trina requiratur. Sicut notat hic Ioan. Andr. qui addit, tamen si Episcopus omnes Episcopos videat ire ad Synodum provinciale, non tenetur ipse venire, nisi vocatus. Porro si Episcopus impeditus sit accedere personaliter, Legatum eo destinare debet. *c. Episcopus. 29. dist. 18.*

4<sup>o</sup> Not. IV. Episcopi singulis annis per se vel per Nuntium ad limina Apostolorum venire debent, nisi ea obligatio ipsis à sede Apostolica remittatur, sed paulò aliter habetur in *c. Iuxta. 4. dist. 93.* ubi distinguitur inter Episcopos propinquos, quòd venire debeant (per se vel per alium, ait Glossa ibidem; sed malim ego dicere sensum esse, ut per se veniant, nisi impediti sint) & inter remotos videlicet qui ultra Italiam sunt, vel saltem duorum dierum itinere distant, ut ij satisfaciant, si per scriptum quot annis Romanam missum de statu Ecclesiæ suæ doceant.

## CAPITVLVM V.

## Nullus.

## PARAPHRASIS.

Episcopus à Clericis suis nisi administratiorem aliquam habeant, iuramentum fidelitatis & obedientiæ exigere non debet. De reliquo hoc Cap. non summat.

Not. vnicum. Simples Clerici ac Sacerdotes Episcopo suo obedientiam &

fidelitatem jurare non coguntur. Excipe casum, si de inobedientia aut rebellione suspecti sunt, uti docui in *c. 3. de Maioritate.*

## CAPITVLVM VI.

## Debitor.

## PARAPHRASIS.

Debitor Creditori promittens vsuras, non tenetur eas solvere, nisi iuravit se soluturum, tunc ex reverentia Divini Numinis adeoque Religionis tantum virtute obligatur ad solvendum; solutas tamen vsuras Creditor restituere debet, & ad id, si opus sit, per Ecclesiasticam censuram compellendus est.

## SUMMARIVM.

1. Harum solutio turpitudinem tantum habet ex parte Creditoris recipientis, qui eas restituere tenetur.

Not. vn. Soluere vsuras promissas non est peccatum, nam alioquin iuramentum solvendi iuramentum non obligaret, cum nemo obligari possit ad peccandum; quare promissio & solutio vsurarum turpitudinem tantum habet ex parte creditoris recipientis, qui cum titulum seu jus recipiendi nullum habeat, acceptæ vsuræ dominium non comparat, & ideo ex iustitia restituere debet. Sicuti docet *S. Thom. 2. 2. q. 78. a. 3.*

Obijcit *Gloss. verb. Cogendi &c.* Debitor qui vsuras soluit, potest illas repetere, tanquam indebitè solutas, uti docent *DD. in c. Ad nostram. 2. hoc tit.* Ergo non tenetur solvere promissas. quid enim opus est solvere, si postea restituere debeat? & confert huc *Regula 198. ff. Cui damus actionem*, eidem & exceptionem competere multò magis quis dixerit.

Resp. rectè ostendi quod debitor vsuras juratas ex lege iustitiæ solvere non teneatur, obligaretur tamen ratione iuramenti ex Religionis virtute, cum autem iuramentum hoc strictam interpretationem mereatur ideo obligat ad solvendum, non item ad solutas non repetendum, nisi & hoc ipsum in iuramento expressum sit, ut infra dicetur.

CAP.

## CAPITULUM VII.

## Ad nostram.

## PARAPHRASIS.

**P** Quibusdam pecuniam mutuauit, possessionibus ac redditibus eorū in pignus receptis, atque insuper juramento obstrinxit debitores, quod super his pignoribus, donec debitum solutum sit, nullum ipsi grauamen inferre velint, sed Archiepiscopus Creditorem illum idcirco excommunicauit, licet ex pignoribus nondum sortem integrā deductis expensis percepisset, atque paratus fuisset, si integram perciperet, quod vellet esse contentus. Hoc intellecto rescripsit Alex. III. vt creditor idem, recepta prius cautione sufficiente, absoluitur à censura; dein debitores, qui possessiones oppignoratas subtraxerunt, per censuram compellantur eas restituere, nullamque Creditori super ijs molestiam inferre, donec pecunia mutuò accepta ipsi soluta sit; postquam verò pecuniam iuxta iuramentum suum soluerunt, tunc Creditorem compellant ad restituendū, quidquid ultra sortē ipsū recepisse constiterit, quod si admonitus non paruerit, in eandem excommunicationis censuram, à qua absolutus erat, reductur.

## SYMMARIUM.

1. *Fructus ex pignore percepti in sortem computantur, deductis expensis in rem oppignoratam factis.*
2. *Absolutus in externo foro ab excommunicatione, etiam in causa dubia, si periculum sit de praiudicio aduersarij, sufficiens cautio exigenda est.*
3. *Debitor jurans Creditori se super pignore ob fructus perceptos, nullam molestiam illaturum, tenetur iuramento.*
4. *Id quod Creditor ex fructibus ultra sortem percepit, restituendum est.*

**N**ot. I. Fructus ex pignore percepti in sortem computantur deductis sumptibus seu expensis, quæ in rem oppignoratam factæ sunt. *l. 1. 2. & ult. C. De pignora-*

*titia actione. & docui l. 3. tract. 4. cap. 30.*

Not. II. Si quis in externo foro ab excommunicatione absoluitur, etiam in causa dubia, siue cum dubitatur, num iuste lata sit; necne, periculum verò subfit, ne absolutio in praiudicium aduersarij cedat, exigenda prius est cautio sufficiens, videlicet per pignora, aut fideiussores, aut saltem juratoria de parendo mandatis Ecclesie, ita *Andr. hic. num. 7.*

Not. III. Si debitor expressè, vel tacitè iurauit Creditori se super pignore ob fructus perceptos & absumptos nullam molestiam exhibiturum, seu illud non repetiturū, donec pecunia ipsi soluta sit, juramento obligatur, ita sumitur ex hoc Cap. Ratio est, quia iuramentum quodlibet promissorium seruari debet ob diuini Numinis reuerentiam, si possit absque peccato.

Obijcies 1. *L. 1. C. De pignoratitia actione.* Ex pignore percepti fructus computantur in debitum, & si sint sufficientes ad totum debitum, soluitur actio & redditur pignus. Si itaque cōtra debitorem seu mutuatarium post sortem integrè ex fructibus perceptam nulla actio competit, sequitur quod nulla eidem insit obligatio, quoniam actio & obligatio correlata sunt.

Obijcies 2. *Compensatio species solutionis est. l. Si 20. 4. §. Soluisse. ff. de re iudicata. & l. 76. ff. De verborum significat. vbi dicitur dedisse etiam eum, intelligendum esse, qui compensauit. & docui l. 3. tr. 2. c. 9. n. 9.* Si ergo ex mutuo debeam tibi mille, tu autem ex fructibus pignoris mei tantundem lucratus es, compensatione facta soluisse censendus sum, & iuramento satisfecisse.

Ad primū resp. verū esse, quod compensatio ac veluti solutio quædam sortis ipso iure fiat, si ex pignore fructus percepti & absumpti sunt à Creditore, potest tamē debitor huic cōpensationis iuri renuntiare, promittens, quod pecuniā mutuò datā prius soluere velit, quàm fructuum perceptorū restitutionē seu compensationem exigit. Probabiliter tamen ait *Abbas hic. n. 3.* talem pactionē videri vsurariā, si enim onus pretio æstimabile imponatur ei, qui mutuū accepit v.g. vt

& ipse postea mutuum dare cogatur, usura comittitur, ut dixi *l. 3. tr. 4. c. 16. n. 3.* Hic autem onus, seu grauamen pretio æstimabile imponitur mutuuario, quãdo jam ipso jure liberatus à solutione, soluere cogitur, & postea expectare, donec sibi pro fructibus perceptis satisfaciatur.

Ad alterum *12.* Licet vera sit doctrina, & à plerisque recepta, cum, qui iurauit se debitum soluturum satisfaciatur, si compensatione legibus concessa utatur, eò quòd juramentum circa materiam juris interpretandum sit iuxta limites Iuris, uti docui *cis. tr. 3. c. 9. n. 2. & 6.* tamen in casu huius Capituli renuntiavit huic suæ compensandi facultati, ut supra dixi, & *cit. n. 6. §. Neg. his obstat:*

4. Not. IV. Si creditor ex fructibus aliquid ultra sortem perecipiat, id ipsum restituere debet *l. 1. C. De pignoratitia actione.* Si verò superent debitum, ipsi fructus percepti reddantur, qui supersunt mota pignoratitia actione.

## CAPITVLVM VIII.

Si verò.

## PARAPHRASIS.

Titius Caium graui incusso metu compulsus ad renuntiandum sibi beneficium cum juramento. Dubitatum postea fuit, uter eorum beneficium habere debeat. Respondit Alexander III. non esse tutum, ut aliquis agat contra juramentum suum, nisi tale sit, quod vergat in salutis dispendium, id est, sine peccato seruari non possit, sed & Pontificem vereri aliquid agere, quo occasione præbeat juramentum violandi, ne periurij auctor ipse videatur. Nihilominus ab Antecessoribus suis frequenter Clericis datam esse absolutionem, si per grauem metum beneficii renuntiarent, & concessum ipsis, ut in resignatis beneficiis deinceps ministrarent, ut hac ratione iniquitas eorum coëscatur, qui viros Ecclesiasticos ad renuntiandum compellere audent &c.

## SUMMARIUM.

1. Clericus resignans alteri beneficium cum juramento, quòd nolit illud repetere, seruare illud debet; eius tamen relaxationem petere potest.
2. Juramentum possessorium, quòd ex parte recipientis nullam habet turpitudinem, à solo Papa relaxari potest.
3. Si verò continet turpitudinem ex parte recipientis, relaxari illud potest ab Episcopo, vel quasi Episcopalem jurisdictionem habente.
4. In dubio presumptio est pro juramenti valore, manetque jus eius, cui iuratum est, exinde fundatum, donec de eo dolus aut vis iniusta probetur.
5. In dubio juris vel facti (modò absit præiudicium tertij) Episcopus declarare vel relaxare tale juramentum potest.
6. Resoluitur questio, quisnam Episcopus juramentum relaxare debeat, iurantis, an eius cui iuratur.
7. Discrimen inter promissionem iuramuram & factam v. g. latroni ob metum iniustum.

NOT. vnicum. Si Clericus graui & iniusto metu adactus beneficium suum alteri resignet cum juramento, quòd repetere illud nolit (sicuti glossa hic explicat, *vel de juramenti.*) Seruare illud debet, nihilominus petere potest, ut à iuramento Ecclesiastica potestate absoluat. Prior pars probatur ex Reg. Can. *omne promissorium iuramentum seruari debet, si possit absque peccato, & dixi de hoc in cap. 2. De iis, quæ vi &c.*

Alter pars probatur; cum æquum non sit, ut aliquis ex iniquitate sua commodum ferat, id eò in odium incutientis metum iniustum, absolvendus est à iuramento, quòd vim passus est, & postea per actionem, quòd metus causa, aut ex Iudicis officio in integrum restituendus, perinde, ac si resignatio nulla antecessisset, ut hic apparet, & *in c. Ad audientiam. 4. de iis, quæ vi, metus &c.*

Hoc loco quaeritur, quis possit absolueret à iuramento, seu relaxare iuramentum promissorium homini præstitum?

Respon-

- 2 Respond. & Dico I. si ex parte recipientis iuramentum promissorium non sit turpitudine, videlicet dolus, læsio enormis, aut vis iniusta, tunc nemo illud relaxare potest, præter Papam, eò, quòd solius sit supremi principis, jus efficaciter alicui acquisitum auferre, sed nec ipse Princeps videlicet Pontifex id potest, aut solet nisi ex grauissima causa. *Sotus. lib. 4. de just. q. 1. a. 9.*
- 3 Dico 2. Si constet turpitudinem versari ex parte recipientis, quia per dolum, læsionem valde enormem, aut vim iniustam inpetrauit promissionem, renuntiationem, aut contractum ab altero juratum, adeò vt quod ita promissum est, recipere non possit, & datum restituere cogatur, tunc iuramentum ordinarià Episcopi aut Jurisdictionem Episcopalem habentis auctoritate relaxari potest; Est communis doctrina apud *Sancti. l. 3. Mor. c. 2. & sumitur ex c. 2. de pastis. n. 6.* vbi docetur tale iuramentum non esse omninò, seu inuolabiliter seruandum, quia videlicet ordinaria potestate Prælati relaxari debet.
- 4 Dixi autem si constet, at verò in dubio præsumptio est pro valore iuramenti, atque jus eius, cu iuratum est, exinde fundatum manet, donec de eo dolus, aut vis iniusta demonstratur. Sin autem sit dubium juris, seu diversitas inter doctores, num Episcopus absoluere possit. Item in dubio facti, num iuramentum obliget tamen sine præiudicio tertii, tunc dicendum, quòd Episcopus declarare, vel relaxare possit, teste *Felino. hic. n. 18. Sa. verb. iuramentum. n. 28.*
- 5 Alia quæstio. Quisnam Episcopus iuramentum relaxare debeat, iurantisne, an eius cui iuratur. Pro solutione aduertendum ex *Abbate in c. 1. n. 7. Alexand. de Nemo. n. 28. hoc. tit.* quòd ad iurandum iniuste adactus, duo remedia habet liberandi se à promissione.
- 6 Primum, vt ab Episcopo suo absolutionem seu relaxationem iuramenti impetret. Secundum, vt cogat eum cui iuratum est, ad remittendam obligationem iuramenti, &

cùm hæc duo remedia separatim & independenter concessa sint, in optione iurantis est, vtro eorum vti malit, l. *Quoties. 40. ff. de actionibus.*

Respondeo & Dico I. Si relaxatio iuramenti tantum fiat secundum forum conscientie, vel extra iudicium. v. g. si Episcopus relaxet tibi iuramentum, quod latroni fecisti de soluenda pecunia; item si iuramentum relaxetur in ordine ad effectum agendi duntaxat, seu petendi, vt contractus per dolum, aut metum iniustum factus rescindatur, tunc Episcopus iurantis relaxare debet, ita *Felin. hic. n. 24. & 31. Sancti. n. 35.* Agitur enim hic de vinculo quo secundum conscientiam iurans impeditur, quod ex iusta causa dissoluere pertinet ad proprium Ordinarium, sicuti & in votis. Neque opus est hoc casu, vt pars altera citetur & audiatur: cum non agatur de præiudicio eius æstimabili, quia jus ipsi suum si quod habeat integrum manet, vt iudicio experiri possit.

Dico 2. Si relaxatio iuramenti fiat in ordine ad liberandum iurantem ab obligatione dandi aut soluendi, quod promissit, vel ad rescissionem contractus per dolum, læsionemue valde enormem, vel metum iniustum celebrati, tum ordinariè fieri debet ab Episcopo eius, cui iuratum est, ita *Felin. & Sancti. ll. cc.* Ratio est partim quia plerumque relaxatio iuramenti fieri solet à iudice tam Ecclesiastico, quam seculari supplendo factum partis, si videlicet ipsa pars, cui ita iuratum est, remittere iuramentum debeat & non remittat, tunc Iudex seu Magistratus loco ipsius remittit: Ad id verò iurisdictione requiritur erga partem, vt notauit *Molin. s. 1. tr. 2. d. 149. n. 12.* Partim quia plerumque is, cui iuratum est, partes Reus in iudicio agit, si videlicet coram iudice peccatur, vt contractus, aut renuntiatio promissa iuramenti relaxatione rescindatur, quamobrem is, cui iuratum est citari debet, quòd ad iudicem eius ordinarium proprie pertinet.

Dixi autem in assertione Ordinariè. Excipiendum enim est primò, si contractus in aliena diocesi cum iuramento iniuste extorto



initus sit, tunc Judex seu Episcopus loci, qui de contractu cognoscit, *c. ult. de foro competente*. consequenter etiam juramentum relaxare potest: nam cui conceditur finis, etiam ea conceduntur, quæ sunt ordinata & necessaria ad finem. *c. Præterea. 5. de officio delegati*.

2. Si is, cui juratum est, ipsemet agat ad impletionem pacti jurati, ideòque spontè se subiiciat Episcopo jurantis, tunc idem Episcopus cognitâ causa, videlicet interuenientis doli, aut metûs iniusti, absolueret potest subditum suum, idque sentiunt *Felin. & Sanch. ll. cc.* quando generatim dicunt, quòd Episcopus jurantis relaxare possit juramentum eius, quotiescunque citatio partis aduersa non requiritur.

3. Si causa relaxandi, videlicet dolus, aut vis iniusta notoria sit, tunc relaxatio juramenti sine citatione partis facta proderit juranti, vt si in externo judiciali foro postea conueniatur, per exceptionem doli, aut metûs se defendere possit. Sicuti notauit *Alexander. inc. Debitores. n. 25. hoc. tit.* qui egregiè etiam aduertit *n. 14.* discrimen esse inter promissionem juratam vsurarum, & promissionem factam. v. g. Latroni obmetum iniustum, quòd ex illa omnino nulla actio, aut obligatio oriatur, ex hac verò oriatur mero jure, quamuis infirma & inefficax, quia per oppositam exceptionem elidi potest, vel per restitutionem in integrum rescindi, juxta ea, quæ docui in *c. 2. de iis, quæ vi.*

## CAPITVLVM IX.

## Ex rescripto.

## PARAPHRASIS.

Petrus Abbati Tremensi 8000. solidis mutuo datis conuenit, vt solutio. v. g. certo tempore ac loco fieret, atque in securitatem eius Abbas Monachos dedit obsides, qui de obseruanda conuentione etiam jurârunt, ita quidem, vt si ipsi deficerent, alii Monachi obsides substituerentur; quòd si & hi fidem frangerent, in defectum eorum, Abbas fideiussores de-

dit V. & uxorem eius, qui similiter de fide seruanda jurârunt. Quibus intellectis mandat *Alexâder. III.* quibusdam Episcopis, vt Abbatem, Monachos & coniuges illos moneri curent, quòd sicuti jurârunt, ita conuentionem implere teneantur. Alioquin Abbati & Monachis ingressum Ecclesiæ interdicant; at verò in coniugum illorum terra, diuina officia vsque ad dignam satisfactionem celebrari inhi-beant.

## S V M M A R I V M.

1. Homo liber pro debito ciuili, imò etiam Religiosus pro debito Monasterii obses dari potest.
2. Quid juris circa obsides, tam qui publicâ autoritate, quam qui à priuato pro ciuili debito dantur, & qui dari possint.
3. Debitor obligare se potest, vti si in morâ solutionis fuerit, in carcere publico vsque ad solutionem factam detineatur, vel in arrestum ponatur.
4. Non tamen potest se obligare ad verbera, torturam, mortis penam.
5. Obses pro ciuili debito datus non tenetur eo loco permanere, in quo sistitur.
6. Limitatur.
7. Mulier si jurato fide iussit, obligatur, non obstante Senatus Consulto Velleiano.
8. Ob pecuniarium debitum potest Papa terram debitoris interdicto subijcere.

**N**Otandum I. Homo liber pro debito ciuili, imò etiam Religiosus pro debito Monasterii obses dari potest, ita *gloss. hic. verb. Monachos. gloss. in c. Exposita. 11. verb. obsidum, de arbitris.*

Pro maiori intellectu, Aduerte: Obsides quandoque dari publicâ autoritate, vt fœdera inter eos, qui belli gerendi jus habent, obseruentur, obsides isti velut seruituti subiecti videntur, adeò vt testamentum sine Principis licentia permissum eis non sit. *l. Obsides. 11. ff. de testament.* Quòd si pacta seu fœdera non seruet pars ea, quæ obsides dedit, ij bonis spoliari, sed non interfici possunt, si innocentes sint, aut talem penam non

non mereantur, ut docet *Molin. tract. 3. d. 120. n. 7. & disp. 550. n. 5.*

Interdum vero obsides dantur à priuato pro ciuili debito, & in hos jus aliquod reale, videlicet, pignoris, aut quasi seruitutis non acquiritur creditori. *l. Ob. af. 12. C. de actionibus. l. Qui filios. 6. C. Quares pignori.*

**Excipe 1.** Quòd Pater filium ob grauissimam necessitatem famis v. g. pignori dare possit. *l. 2. Cod. de patribus, qui filios distraxerunt;* & hanc ratione docet hinc *Felin. n. 4.* quòd in maxima Monasterii penuria, cui aliter subueniri non possit, Abbas Monachos pignoris loco dare non prohibeatur, ut extra claustrum detineantur, donec debitum solutum sit.

**Excipe 2.** Quòd in pluribus regnis obligatio obstagii debitori imponatur, die *Latzung/ i. e.* si debitor, aut eius fideiussor pactum non seruet, v. g. mutuam datam pecuniam suo tempore & loco non soluat, quòd vocari possit, ut in certo loco compareat, nec recedat, donec satisfactum sit. Verùm eiusmodi obligationes *Anmanung zu der Latzung/* ablatae sunt in Imperio, *Francfurti 1577. politischer Ordnung. tit. 17. §. wiewohl auch.* Videri potest *Joan. Andr. hic. num. 4. Gail. lib. 2. obseruatione 45. & c.*

**Excipe 3.** Quòd debitor obligare se possit, si in mora solutionis fuerit, ut carceri mancipetur, in eoque detineatur, donec soluat, teste *Felin. hic. n. 8. & 12. Gail. l. 2. de pace publica. c. 2. n. 8.* id verò intelligi non debet de Carcere priuato, quippe quod leges prohibent. *l. 1. C. de Carc. priuato.* sed de publico, in quem per Magistratum debitores conici possunt: si in mora soluendi sint, neque cautionem solutionis præstent. *argum. l. 1. C. Qui bonis cedere.* Vbi dicitur, quòd cessio bonorum liberet debitorem, quominus si soluere non possit, in carcerem coniciatur.

Simili ratione obligare te potes, si in mora soluendi fueris, ut manu prehendaris, & in arrestum Magistratus auctoritate po-

naris, cum enim id licitè quandoque fiat à Magistratu, multò magis si etiam in pactum deduxerit debitor. *argum. 6. Dilectus. 32. prope finem de Elect. & videri possunt. gl. & DD. in c. P. & G. 40. verb. promulgares, de officio delegati.* Verùm id fieri non potest, ut aliquis se ad verbera, torturam, vel mortis pœnam obliget, nisi satisfecerit, cum homo non sit Dominus vitæ suæ, & membrorum. *l. Liber homo. 13. ff. Ad. l. Aquil.*

Quæritur num obses pro ciuili debito datus, in loco in quo sistitur, permanere obligatus sit. Communiter respondent negatiuè. *Innoc. hic. Abbas. n. 8. Imol. n. 6. Felin. n. 7. & 8. Conarru. 2. resol. c. 1. n. 1. in fine præterquam si iuramentum accesserit.*

Ratio reddi debet quia hæc species seruitutis est, cum fieri possit, ut debitor diutissimè moram trahat, aut nunquam soluat, talis autem seruitus & semper manendi necessitas, homini libero non conuenit. *argum. l. Titio. 71. §. 2. Titio. ff. De Conditionibus, ubi hæc habentur: Titio 100. relicta sunt, ita ut à monumento meo non recedat, vel ut in ista ciuitate domicilium habeat, potest dici non esse illum locum cautioni, per quam jus libertatis infringitur.*

**Excipitur 1.** Quòd ad permanendum certo tempore, homo se obligare possit, 2. quòd fauore piæ causæ se quispiam obligare possit, v. g. ad seruiendum Ecclesiæ, aut Xenodochio, quia Deo seruire, non est seruitus, sed libertas. 3. Nisi iuramentum semper persistendi accesserit, sicuti dictum in Responsi. Cum enim obiectum huius iuramenti malum non sit, nec bonis moribus naturalibus repugnans, ideòque sine peccato iuramentum seruari possit, debet seruari, donec relaxatio impetretur videlicet à Papa, quam dare potest propter magnam obseruationis difficultatem, imò si ex parte recipientis turpitudine aliqua appareat, etiam Episcopus poterit relaxare,

Notæ

7 Not. II. Licet mulier ex Senatus consulto Velleiano tuta sit, si pro altero fidei iusserit, tamen si fidei iussioni suæ juramentum adiecit, obligatur. Vide quæ docui. l. 4. tr. 3. c. 6. assert. 5. exemp. 9.

8 Not. III. Pontifex ob pecuniarium debitum non solutum, terram debitoris interdicto subicere potest. Vide quæ dixi. l. 1. tr. 5. p. 14. c. 4. in fine.

## CAPITVLVM X.

## Querelam.

## PARAPHRASIS.

Wilhelmus Clericus, R. Canonico Lincolniensi juratus promisit duos bisantios annuatim se ipsi soluturum, nomine Ecclesiæ De Statera; sed à solutione pensionis per biennium cessauit. Super hoc delata est querela ad Alexand. III. qui Respondit cum Ecclesias regere non mereantur, qui periurii Rei sunt, idèd, si appareat iudicibus à se delegatis ipsum non necessitate, sed voluntate solutionem pensionis omisisse, vt Wilhelmum ab Ecclesia illa remoueat, & R. restituant.

Videtur hæc Ecclesia pertinuisse ad Canonicum R. sed secundum administrationem, & curam actualem in ea positus erat VVilhelmus tanquam Vicarius perpetuus, & intitulatus, ita vt pensionem quotannis solueret Reçtori principali. Cùm autem VVilhelmus contra iuramentum solutionem biennio intermisisset, petiit R. Vicarium titulo suo priuari ac remoueri, tanquam periurii crimine irretitum.

## S V M M A R I V M.

1. Clericus de periurio conuictus, beneficiis suis priuandus & deponendus est.
2. Non violat promissorium iuramentum, qui illud ob necessarium impedimentum non implet.

3. Mortuo, vel deposito Vicario perpetuo, cura beneficii est penes Reçtorem principalem, dum alius substituitur.

NOT. I. Clericus conuictus de periurio beneficiis suis priuandus ac deponendus est, vti habetur. c. Cùm non. 10. de iudiciis. Vide quæ docui. l. 1. tract. 3. p. 5. c. 4.

Not. II. Promissorii iuramenti violator, seu periurii Reus non censetur, qui ob impedimentum necessarium promissum non implet, quia necessitas legi non est subiecta, c. 2. de obseruatione ieiunii. & docet gloss. hic, verb. necessitate.

Not. III. Si Vicarius perpetuus moriatur, aut deponatur, interim dum alius substituitur, administratio & cura actualis Ecclesiæ, aut beneficii est penes principalem, ita sumitur ex h. c. in fin. & docui in qq. de elect. q. 208. in fine.

## CAPITVLVM XI.

## Tua.

## PARAPHRASIS.

Præsentati Clerici jurarant patronis, quòd maiorem ipsis, quàm antea consuetum erat, pensionem solvere vellent, postea verò cum ab Episcopo iterum instituebantur, iterum jurare debebant, quòd antiquam & solitam pensionem patronis præstandam augere nolint. Dubitatum fuit, vtro iuramento Clerici stare debeant.

Respondit Lucius III. Cùm posterius iuramentum, quod ratione & Lateranensis Concilii auctoritate nititur, præiudicet alteri iuramento priori, quippe quòd de cupiditate processit, idèd posterius seruandum; Iustum autem esse, vt Clerici ob periurium, quòd violare non possunt, ab Ecclesiis remoueantur.

## S V M M A R I V M.

1. Patronus Ecclesiæ potest cum Episcopi consensu pensionem annuam sibi soluendam ex ea reservare.

Nihil

*Nibil tamen postea amplius ab Ecclesia, nec pensionem augere potest.*

2. *Promissio census facta patrono ante præsentationem, & cum ordine & pacto præsentationis consequenda, Simoniacæ est, redditus præsentationem seu institutionem nullam.*
3. *Etiã periurium assertorium, si sit de re graui, inter crimina valde grauia & depositionem merentia numeratur.*

**I** Aduertendum. Quòd Patronus, qui Ecclesiam fundat, ædificat, aut dotat, pensionem annuam sibi ex ea soluendam cum Episcopi consensu referuare possit. *c. Præterea. 23. de Iure Patronatus.* Postea verò nihil exigere potest ab Ecclesia, nec pensionem augere. *cap. Prohibemus. 7. de censib.* aded, vt tametsi Clericus beneficiarius juret se pensionem maiorem soluturum, pro irritò habendum sit iuramentum, quippe factum in detrimentum Ecclesiæ, & contra Generalis Concilii prohibitionem. *c. Prohibemus. c. Grauis. 13. iuncta. gloss. verb. absoluit. eodem tit.*

His adde, quòd si promissio census facta sit Patrono ante præsentationem, & cum ordine & pacto expresso, aut tacito præsentationis consequendæ, Simonia committitur, & ided ipso iure irrita sit promissio seu institutio præsentati. *c. Cùm Clerici. 6. de pactis & notat. Abbas. hic. n. 3.*

Oritur autem hinc difficultas, cùm iuramentum istud augendæ pensionis iuramentum non obliget ad obseruationem eius, cur Clericus iste, tanquam periurus, puniatur, & ab Ecclesia remoueat.

Respondeo, hâc obiectione ostendi, quòd Clericus iste periurium promissorium non commiserit, huius enim periurii malitia in eo consistit, quòd iurans promissionem iuratam implere negligat, id verò locum nõ habet, si iuramentum obligatorium non sit, siue impleri non possit, aut saltem non debeat. Verumtamen Clericus iste censetur commisisse periurium assertorium, cuius malitia in hoc consistit, quòd quis mendacium, aut falsam assertionem suam iu-

ramento sciens confirmat, at verò si quispiam duo contraria, aut contradictoria iuratus asserat, videlicet se pensionem maiorem daturum, & pensionem maiorem non daturum, is contineatur alterâ vice mendacium dixisse, & hoc confirmando per iuramentum, periurum esse, & ided beneficiis iure priuari posse, sicuti docui. *l. 4. tract. 2. c. 14. n. 22.*

Dico autem id esse solùm præsumptionem, quia fieri poterat, vt iurans verè habuerit animum præstandi pensionem, postea verò pœnitens, aut de nouo edoctus quòd iuramentum non obliget, verè iurauit Episcopo se pensionem aucturum non esse, id verò si Clericus ostenderit, à pœna priuationis immunis erit. *cit. 3. c. Grauis. iuncta. gloss. verb. absoluit.*

Not. Vnicum. Etiã periurium assertorium si sit de re graui, inter crimina valde grauia & priuationem seu depositionem merentia numerari debet. *c. Presbyter. 12. dist. 81. s. vlt. 22. q. 1.*

## CAPITVLVM XII.

## Cùm quidam.

## PARAPHRASIS.

Si Episcopus promissionem iuratam violat, tantò grauius in eum aduerti debet, quartò maiori in dignitate constitutus est, vt alii exemplo eius ad similia pertrahi non possint. Illi autem, qui iurauerunt, quòd Patri, Matri, fratri, aut Sorori loqui nolint, vel humanitatis subsidia non afferre, absoluendi sunt ab obseruatione iuramenti, quippe illiciti & irrationabiles, iniunctâ ipsis, ed, quòd malè iurauerint, pœnitentia competente.

## SUMMARIVM.

1. *Tanto maius est peccatum, quanto in maiori dignitate maximè Ecclesiasticus peccans constitutus est.*
2. *Multa pecuniaria persone nobili maior, quàm plebeia imponenda, minor autem pena*

b b b

pena

*pœna corporalis, neque tunc metuenda personarum acceptio.*

5. *Juramentum de re illicita, non obligat.*

**NOT. I.** Tanto maius est peccatum hominis quanto in sublimiori statu ac dignitate præsertim Ecclesiæ constitutus est, idque propter ingratitude & abusum donorum & gratiarum cœlestium, quibus tales homines præveniuntur, partim propter exemplum malum, quo aliis nocent, videri potest *Abbas. hic.* & quæ docui. *l. 1. tract. 2. c. 9. n. 2.*

2. Veruntamen quod ad pœnam attinet, distinguere oportet inter pecuniariam multam, & corporis supplicium; nam multa personæ nobili maior inferri debet, quàm plebeix. *argumento. l. Illicitas. 6. ff. de Officio Præsidis.* ubi dicitur, quod propter inopiam multa remittenda sit, & additur ibidem. *gloss. juncta.* verb. *Reprehensæ,* tamen si Reus, cui remissio ob inopiam facta est, postea ditior fiat, non esse aliquid ab ipso repetendum.

At verò pœna corporalis remittitur seu minuitur, si persona nobilis sit, vel in dignitate posita. *l. 2. Vi nemo priuatus. c. vlt. de pœnis.*

Neque verò in his timenda est personarum acceptio, nam quæ secundum se exigua pœna videtur, infamiam aut corporis molestiam exhibens, comparatione personæ dignioris augetur sicuti & pœna pecuniaria seu multa, quæ secundum se parua est; si inopi imponatur, gravis efficitur. *Vti Felin. hic. not. n. 5.*

3. **Not. II.** Juramentum de re illicita, aut bonis moribus repugnante, obligationem non parit. *c. Quarto. 18. hoc. tit. & 56. in 6.* non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum. Vide quæ dixi. *l. 4. tract. 3. c. 6.* & quæ docet *Abbas. in c. Si uerò. 8. n. 5. hoc. tit.*

### CAPITVLVM XIII.

**Sicut.**

**PARAPHRASIS.**

R. Prior monasterii iurauit, se in mona-

sterio in quo professus erat, vltorius cum G. monacho non mansurum. Hoc cogito Respondit Urbanus. III. Priori illi ob temerarium juramentum, quod contra professionis fidem & stabilitatis suæ propositum edidit, talem pœnam imponendam esse, vt alii exemplo eius teriti, tale quidpiam facere pertimescant, ipse verò in Claustro, quippe quod abiurare non potuit, stabili proposito permanens pœnitentiam sibi iniunctam exequatur.

### SUMMARIVM.

1. *Cum superioris licentia Religiosus extra claustrum degere potest.*
2. *Pœna delinquenti infligitur, vt alià malo deterreantur.*

**NOT. I.** Juramentum non obligat si sit de re illicita, siue quæ sine peccato præstari nequit. *c. Præcedente.* Huiusmodi erat juramentum istud non permanendi in monasterio, in quo monachus professus est. Veruntamen cum superioris licentia quod Religiosus ex justa causa extra claustrum degere possit, videbis apud *Nauarr. commentar. 2. de regularibus. n. 16. Rodrig. t. 3. reg. 9. 53. a. 3. Swar. t. 4. l. 13. de Religione. c. 7.*

Nota II. Pœna delinquenti infligitur, vt alius sit in timore; siue vt alieni mali exemplo caueat. *l. 1. C. ad. l. Jul. repetund. c. Quia propter. 47. causa. 2. q. 7.*

### CAPITVLVM XIV.

**Veritatis.**

**PARAPHRASIS.**

Dubitatum fuit, vtum Regis Sicilia, qui Romanæ sedis feudatarius est, hæredes, postquam vni Pontifici homagium, seu juramentum fidelitatis præstiterunt, successoribus eius iterum iurare debeant. Hanc quætionem Cardinales aliqui deciderunt, quam & Clemens. III. approbat, quod satis sit, si vni Pontifici homa-

homagium semel præstiterint ; successoribus verò fidelitatem perinde , ac si etiam ipsis jurassent , seruandam esse.

## S V M M A R I V M.

1. *Juramentum fidelitatis præstitum à Vasallo suo Domino, est reale & transitorium ad successores.*

**N**OT. Vnicum Si feudatarius seu Vassallus Domino ratione dignitatis eius homagium seu fidelitatis iuramentum edat, extenditur obligatio iuramenti etiam ad successores eius, cui juratum est, ad eoque ex hac parte iuramentum censetur esse Reale siue transitorium, cum re scilicet, dignitate aut officio, respectu cuius editum est. Ratio est quia dignitas ac officium cum persona non extinguitur, sed ad successores transit. *c. Si gratiose. s. de rescript. in 6.* consequenter si is, cui ratione officii sui iuramentum præstitum fuit, resignet, aut deponatur ab officio, jurans respectu illius obligatione liberatur: sicuti hoc ipsum in Voto obedientiæ cerne re est, quod Prelato fit, vt eo deposito obligatio vouentis cesset in illius persona, & ad successoris personam transeat. *argum. c. Venerabilem. 34. in fine de elect.*

E contra verò iuramentum secundum propriam obligationem semper personale est ex parte jurantis; neque hæredem, aut successorem eius obligare potest, intellige ex Religionis virtute: at verò per vim pacti atque ex iustitia, si circa rem non illicitam, seu capacem obligationis verferur, obligatio transire potest ac solet ad hæredem, vel successorem. *lege qua docui. lib. 4. tract. 3. c. 10. q. 3. & eodem tract. 3. c. 1. n. 3.*

## CAPITULUM XV.

## Verùm.

## P A R A P H R A S I S.

Si qui per vim aut metum iniustum adacti

iuramentum promissorium ediderint, ab eo absolui solent. Veruntamen vt consultius agatur, & occasio peierandi auferatur, non est iis, qui absoluuntur expressè dicendum, vt iuramentum non seruent, sed quòd puniri non possint tanquam Rei periurii mortalis, si non seruent.

## S V M M A R I V M.

1. *Promissorium iuramentum vim per auctum iniustum extortum, cur non obliget omnino seu inuolabiliter.*  
2. *Potest illud iudex ex officio relaxare, si metu etiam leui iniuste sit extortum.*

**N**OT. Vnicum. Iuramentum promissorium per vim iniustam extortum, non obligat omnino seu inuolabiliter, propterea quòd jurans ab Ecclesiastico Prelato, videlicet Papa, Episcopo suo, vel similem in externo foro jurisdictionem habente relaxationem iuramenti impetrare possit; ita etiam dixi in *c. Si verò. hoc. tit.*

Dubitatur 1. Cur Pontifex in fine dicat, non esse in absolutione exprimendum, quòd iuramentum seruari non debeat.

Resp. Causam esse seu afferri, ne detur occasio peierandi, si fortè jurans omnino & inuolabiliter se obligare intenderit ad implendam promissionem, excluso impetrandæ relaxationis remedio, tunc nimirum ita obligatur ex virtute religionis, sed quia talis intentio in dubio non præsumitur, sed potius quòd iniuste adactus jurarit secundum terminos juris, videlicet, relictâ sibi facultate relaxationem impetrandi, idè in foro externo, si post relaxationem seu absolutionem impetratam implere intermittat, non punitur tanquam periurus. Quamquam ita puniendus esset, si priorem omnimodè se obligandi intentionem habens contra proprium iuramentum postea impetratâ relaxatione promissionem juratam violasset.

Dubitatur 2. Si iuramentum promissorium metu iniusto, sed leui, siue non cadente in constantem virum, extortum

b b b 2

fit,

fit, num ab Episcopo jurantis relaxari possit. *gloss. hic. verb. inuiti. Imol. c. Si verò. n. 4. hoc. tit. Sylvester. verb. juramentum. 4. 9. 7. negant, argumento. l. Metum. 6. ff. Quod metus causâ, quibus Sanch. l. 4. de marrim. disp. 10. n. 9. assentitur, si de relaxatione juramenti in externo foro sermo sit, secus, si de relaxatione pro foro conscientie, sed arbitror rectius docere. Joan. Andr. hic. n. 6. Abbatem. n. 3. Alex. n. 7. Quod Judex ex officio relaxare potest juramentum promissorium, tamen si leui metu iniuste extortum sit, quia si talis metus causam jurandi dedit, adest tota ratio, cur juramentum remitti, aut relaxari debeat, videlicet turpitudò metum incutientis, ne ex iniquitate sua commodum ferat, sicuti docet *gloss. in c. Quod dilectus. verb. metum. de iis, que vi. ex l. Non est. 23. §. ult. ff. Quod metus causa. & dixi. l. 3. tract. 4. c. 6. n. 4. ad l. Metum. Respondeo, licet metum leuem passo, qui causam promittendi dedit, non succuratur per editum Pratoris seu per actionem, quod metus causa, succurri tamen Judicis implorato officio propter æquitatem, & in odium metum incutientis.**

## CAPITVLVM XVI.

## Veniens.

## PARAPHRASIS.

**A** Verbis contenderat, cum M. pluribus vicissim illatis conuitiis, & cum exinde grauis inimicitia orta esset, quidam se pacis constituendæ causâ interponentes suggererunt A. vt pro satisfactione Venetorum Ciuium quorundam mandato se obediturum juraret, quod ipse fecit ex confidentia, seu bona fiducia, ratus non se aliquid commisisse, ob quod graue quidpiam imponendum sibi esset, sed Ciues illi præceperunt, A. vt Ducis Veneti curiam nunquam intraret, nisi cum omnes per generale editum ad curiam vocarentur. Verùm A. qui Ducis consiliarius erat, & multarum

Ecclesiarum aduocatus, quibus ipse in iudicio patrocinium præstare obligabatur, tale juramentum nunquam edidisset, si eiusmodi mandatum suæ obligationi contrarium suspicatus esset.

Hac re cognita Innoc. III. mandat Patriarchæ Grandensi, si posterius istud juramentum priori licitè edito cognouerit esse contrarium, vt Apostolica auctoritate declaret, non seruandum esse.

## SUMMARIVM.

1. In generali & jurata promissione non veniunt ea, quæ aliquis, si in mentem venissent, verisimiliter promississet.
2. Juramentum de parendo mandatis alterius, quomodo intelligendum.

**NOT. I.** In generali, & jurata promissione non veniunt ea, quæ aliquis, si in mentem venissent, verisimiliter non promississet, sed excepisset, propterea quod nimis graua sint, aut honestè impleri non possint, ita *gloss. hic. verb. præsciussisset. Alex. n. 6. S. Th. 2. 2. q. 89. a. 2. ad 3. & docui l. 4. tract. 3. c. 9. n. 3.*

**NOT. II.** Juramentum de parendo mandatis alterius intelligi debet, si mandet quæ iusta sunt; & quæ sine peccato & alterius præiudicio impleri possunt, vt docetur etiam in *c. Quinta Vallis. 23. hoc. tit. & docet S. Th. loc. c.*

Exinde inferri debet, si alicui obligatus sis ad dandum, vel faciendum quidpiam, v. g. puellæ ad nuptias per sponsalia etiam nõ jurata, quod juramentum subsequens, priori obligationi contrarium (videlicet si postea cum alia puella juratus contrahas sponsalia) ipso iure irritum sit, quandoquidem juramentum non est vinculum iniquitatis, idque docui. *l. 3. tr. 10. p. 1. c. 1. n. 5. Videri potest Abbas. hic. n. 9.*

## CAPITVLVM XVII.

## Breui.

## PARAPHRASIS.

Aliquis se juramento obligauit, quod iura cuius-

quiusdam Ecclesie pro viribus suis defendere vellet, postea vero incidente aliqua necessitate sub debito juramento requisitus ut defenderet, ipse appellauit. Quæsitum est, num periurij reus sit.

Respondet Innoc. III. Quod appellatio in hoc casu non excuset, ideòque hominem illum periurium incurrisse, nisi difficultas extiterit, ob quam Ecclesie jura defendere non posset.

## S V M M A R I V M.

1. Qui iurauit, quòd Ecclesiam vel personam defendere velit, & post occurrente occasione & necessitate requisitus recusat, periurus est, neque eum à periurio excusat appellatio.
2. Limitatur primò, nisi ostendas difficultatem, & quandam moralem necessitatem, cur defendere non potuerit.
3. Limitatur secundò, si Ecclesia cui iuratum est, vicissim præstet, qua debet iuranti Advocato, v.g. Salarium.
4. Limitatur tertio, si Ecclesia iniustam causam foueat, vel speculatiuè tantum dubiam.
5. Limitatur quarto, si Advocatum paratum sit per alium æquè idoneum patrocinari.
6. Ex forma juramenti, aliisque circumstantiis colligetur nonnunquam, quòd Advocatus patrocinari non teneatur, nisi requisitus.

**N**ot. vnic. Qui iurauit quòd Ecclesiam vel personam defendere velit, & postea incurrente occasione & necessitate non defendit, à periurio non excusatur ob id, quòd super hoc requisitus ad superiorem appellat.

Limitandum est 1. Nisi ostendat difficultatem & quandam moralem necessitatem, cur defendere non potuerit; nam omni promissorio juramento hæc tacita conditio inest: Si potuero, moraliter id æstimando, sicuti docui lib. 4. tr. 3. c. 9. n. 9.

Simili ratione, qui iurauit sententiam seu laudum arbitri se seruaturum, & postea absque causa rationabili resistit, petens illud reduci à Iudice ad arbitrium boni viri, censetur periurus.

Excusari tamen potest, si probet, error se seductum. Vt Abb. hinc notat n. 3. arg. 2. Sacros. 48. de sententia Excommunicationis.

Limitandum 2. Si Ecclesia cui se quis obligauit, non sit parata vicissim præstare ea, quæ debet v.g. debitum salarium, non obligatur illi Advocatus; quemadmodum nec Vasallus incidit in periurium, si Dominum suum defendere intermittat, qui prius ab ipso desertus fuit. qua de re Alex. hinc n. 23.

Verum si promissio illa patrocinandi Ecclesie facta, & jurata sit nõ sub propriè dicta conditione, sed sub modo, vt Monasterium salarium præstet, & Prelati negligentia intermittatur, nihilominus jurans obligatur ad patrocinandum, quia promissio, sicuti & donatio nõ revocatur, si modus adiectus à Prelato non seruetur, sed agi debet ad modi observationem, prout dixi l. 3. tr. 4. c. 4. assert. 7. S. Caterum, & tradit Abbas n. 7.

Limitandum 3. Si Ecclesia causam iniustam foueat, Advocatus ei juramento obligatus non tenetur eam defendere.

Sed quid si causa dubia sit? De hoc variè loquuntur DD. Existimo dicendum, si speculatiuè tantum dubia sit, quòd Advocatus obligetur, cum in tali casu patrocinium præstare possit, iuxta ea, quæ docui lib. 1. tr. 1. Vbi de Advocato, in causa dubia, accedente juramento, etiam debet, dummodò speret, apud Iudicem pro Ecclesia causam obtineri posse, alioquin frustra laboraret, bonamque opinionem suam temerè in discrimen daret. Sin autem practicè dubitet, videlicet, an sine peccato præstare possit, illudq; dubium deponere nequeat, relinquendus est suæ conscientie, sicuti hinc docet Ioan. Andr. & Alexand. in sine c. & tumitur ex l. Rem. 14. C. De iudiciis; cum enim Advocatus in iure peritus sit, vt ponimus, nõ facillè accidet, eum ita esse subiectum imperio Abbatis, aut Rectoris Ecclesie, vt ipsius sententia in dubio contra propriam se conformare teneatur.

Limitandum 4. Si Advocatus paratus sit per alium æquè idoneum patrocinari, sicuti hic Ioan. Andr. notat n. 9. arg. cit. l. Rem non notiam.

Denique aliquando ex forma juramenti, vel



vel ex circumstantiis facti apparebit, quòd jurans non obligetur sub debito juramenti ad subueniendum, nisi requisitus fuerit.

## CAPITVLVM XVIII.

## Quanto.

## PARAPHRASIS.

Rex Arragonia à Consiliariis suis, imò magis deceptoribus inductus fuit, vt juraret populi consensu non requisito, se monetam, quæ ante morte patris sui in pondere legitimo vsitata erat, ad certum tempus ita cõseruaturum esse, postea verò cum videret, grande inde populi scandalum oriri, petiit ab Innoc. III. absolui à juramento suo, quod temerè ediderat, sed Innoc. respondit in hoc casu necessariam non esse absolutionem, sed potiùs interpretationem adhibendam. Vel enim Rex tempore editi juramenti monetam falsam esse credebat, vel legitimam; si primum, juramentum illicitum est, & nullatenus obseruandum; cum juramentum institutum non fuerit, vt esset vinculum iniquitatis; sin posterius, juramentum licitum est, & omnimodè seruandum. Quare Pontifex suadet, ac mandat Regi, vt reprobata, aut abolita eã monetã, quæ iustum pondus non habeat, aliam legitimam nomine patris sui cudi cudi, vt hac ratione juramentum suum obseruet, & populi damnum evitet. Verum in priori casu, si videlicet sciuit Rex monetam legitimam non esse, & idè conscientia eum mordet, peccatum suum confiteri & competentem satisfactionem sibi iniunctam implere debet.

## SUMMARIVM.

1. Consiliarij non sunt, sed deceptores, qui ad augendum ararium Principis illicita media suggerunt.
2. Juramentum de re illicita non est obseruandum, neque indiget absolutione.
3. Princeps sine populi consensu non potest moneta mutationem introducere.
4. Excipitur casus necessitatis, si in eo dissentiret populus à Principe, qui sit absoluta potestatis.

5. Juramentum quod seruari nequit in ea materia circa quam editum est, seruari debet in æquivalente.

6. Substitutum imitatur naturam & conditiones eius, cui substituitur.

Nota I. Non Consiliarij sed deceptores censendi sunt, qui ad pecuniam fisci augendam, quæ iusta non sunt Principi suggerunt, ita Canonistæ hîc præfertim *Imol. num. 2.*

Nota II. Juramentum de re illicita obseruari non debet, neque opus est absolutione, cum obligationem nullam pariat.

Nota III. Princeps sine populi aut saltem maioris partis consensu, non potest mutationem monetæ introducere, sicuti docui. *l. 3. tr. 3. p. 1. c. 5. q. 3.*

Ratio est, quia mutatio monetæ in graue communitatis detrimentum cedit; non potest autem Princeps arbitrato suo disponere de bonis subditorum, sicuti hîc tradit *Ioan. Andr. n. 2. Abbas. n. 1.* Vbi aiunt, quòd Princeps non possit componere circa damna, subditis ab hoste illiata, belli tempore, uon requisito ipsorum consensu.

Limitat tamen id *Imol. hîc n. 2.* nisi id necessarium esse videatur ad pacem & securitatem Reipublicæ statuendam, nam si diuersitas opinionum sit inter Principem & subditos, decet potiùs, vt subditi tanquã membra Capitis sui dictum sequantur, dumòdò talis Rex sit, seu Princeps, qui absolutam in Remp. potestatem habeat, sed neque ex pacto aut capitulatione aliqua jurata à populi aut procerum consensu necessariò dependere debeat.

Nota IV. Si juramentum in ea materia seruari nõ possit, erga quam editum est, seruari debet in alia æquivalente, ita colligitur ex hoc cap. Jurauerat enim Rex se seruaturum monetas cufas à patre suo: cum autem eas ipsas, quia diminuti ponderis erant, seruire non posset, mandauit ipsi Pontifex, vt alias iusti ponderis nomine patris sui cudi curaret, si ponamus Regem, cum juraret, nesciuisse monetas esse ponderis vitiatas.

Simile est, si Titius cognatæ suæ iuret, se in dotem daturum vnionem hunc, quæ mille aureis

aureis valere existimat, ac postea comperitur valere tantum aureis 50. obligatur alium æquivalentem suæ intentioni vnionem, aut æstimationem eius tradere, dummodò ponamus intentionem jurantis non fuisse, per se restrictam ad huncce numero vnionem, sed principalem eius intètionem fuisse, subuenire puellæ dote data; per accidens autè & materiale fuisse, quod vnionem illū tradere voluerit, ratus habere valorem aureorum 1000. ita vt, si id non ignorasset, aliud quidpiam tanti valoris desigñasset. Cætera quæ de monetarum mutatione hîc Canonistæ tradunt, reperies in cit. c. 5.

6 Notandum V. Substitutum imitatur ac præ se fert naturam & conditiones eius, cui substituitur, ita sumitur ex hoc capitulo. Cum enim monetæ Antecessoris abolendæ essent, iussit Pontifex in earum locum monetæ substitui inciso nomine patris, perinde ac si ab ipso cusæ essent, quod ipsum in picturis fieri solet, vt abolitæ renoventur, perinde ac si eadem fuissent, sed in instrumentis id non est concessum, propter periculum fraudis, vt *Gloss. marg. hic advertit.*

## CAPITVLVM XIX.

## Venientes.

## PARAPHRASIS.

Civis Tudertinus à Consulibus civitatis ad Dominium Papæ pertinentis, per sententiam damnatus fuit ad restitutionem possessionum quarundam, & quamvis ipse à sententia Romam appellavit, nihilominus Consules eam executi sunt. quæ de re Innoc. III. ipsos reprehendendos esse censuit, cum etiam leges saculares appellationis beneficium post latam sententiam grauatim concedant. Verùm Consules in excusationem attulerunt, id factum ab ipsis secundum obligationem iuramenti, quod ipsi in susceptione officij edere solent, quod latas sententias super mutuis & fideiussoribus intra dies 28. executioni mandabunt. Hanc excusationem reiecit Pontifex Innocentius III.

Quia etiam alij Judices iurare coguntur, quod secundum leges iudicabunt, & tamen hoc non obstante iustas appellationes admittere debent, ideo mandat Consulibus civitatis, vt in posterum appellationibus interpositis deferant, cum in iuramento ipsorum, jus Superiorum exceptum intelligatur; civem autem illum reducant in possessionem bonorum, sicuti eam habuit tempore appellationis, & nisi id spontè faciant, commisisse se, inquit Papa, Episcopo Nucerinò, vt ad id per censuram, compellantur.

## SUMMARIVM.

1. Argumentum à lege ad consuetudinem solidum est.
2. Iudices in assumptione officij, iurare debent, quod secundum leges iudicare velint.
3. Iuramentum editum circa materiam juris, interpretandum est secundum terminos juris.
4. Iuramentum promissorium intelligi debes saluo jure superioris.
5. Iuramentum quod & quatenus cedit in præiudicium alterius, invalidum est.
6. Subditus in aliena regione, jurans se inde non abiturum, donec debita soluat, abire potest, si revocetur à superiore.
7. Limitatur tamen hac doctrina.
8. Attentata post appellationem, prius restituenda sunt, quam iudex de iustitia appellationis cognoscat.

Notandum I. Bonum est argumentum à lege ad consuetudinem seu jus consuetudinis, quia jus non scriptum seu consuetudine introductum æquivaleret legi scriptæ. vt docui *l. 1. tr. 4. c. ult. n. 1.*

Notandum II. Iudices in assumptione officij iurare debent, quod secundum leges iudicare velint, *Authent. iurandum, quod præstat, ab his, qui administrationem accipiunt. iuncta Gl. verb. Visum.*

Notandum III. Iuramentum editum circa materiam juris, interpretandum est secundum terminos juris. Ratio reddi debet; quia iuramentum obligationem juris, super quod

quod fertur, non extendit, sed tantum intendit siue auget iaten siue non extensiue. Sicuti explicauit. *l. 4. tr. 3. c. 9. Coroll. 2. n. 6.* ita fumitur ex hoc cap. & tradit *Imol. hic. n. 2. Alexand. de Nauo. n. 32. & alij.*

Exemplum habes hic. Iudex iurauit, quod uellet sententiam latam intra certum tempus exequi, interpretandum est, si executioni ea mandari debeat, non item si propter interpositam appellationem sententia suspensa manere debeat, uide quæ copiose dixi. *l. 4. tr. 3. c. 9. Coroll. 2.*

4 Not. IV. In omni iuramento promissario jus superioris exceptum intelligitur, siue ut aliis uerbis dicam: Iuramentum promissorium intelligi debet, saluo iure Superioris, ita hic *Innoc. III. & docui cit. c. 9. num. 4. Coroll. 2.*

Exemplum habes hic, si Consules iurent, quod sententiam à se latam exequi uelint, subintelligi debet exceptio: nisi ad superiorem appellatum sit, quia jus recipiendi appellationem, quod superiori debetur, ab inferioribus tolli non potest. Addit *Alexand. de Nauo. hic. n. 32.* quod iuramentum etiam non ualet, quatenus cedit in præiudicium alterius cap. *Cum contingat. 28. junctâ gl. magna. not. vlt.*

6 Porro exinde colligit *Abbas hic. n. 3. Alexand. de Nauo. n. 16.* non obstante, quod subditus in aliena regione existens, iurauit se non abiturum, donec debitum soluat, abire posse, si à Superiore suo reuocetur, quia in tali iuramento exceptum censetur jus & auctoritas Superioris, qui ratione domicilii sibi subditum reuocare potest.

7 Limita 1. Quod interdum ratione scandalii vitandi Superior subditum reuocare non debeat.

8 Limita, 2. Quod interdum Superior licentiam dedisse censetur ita iurandi, quando uidelicet Clericum ad Academiam misit studendi causa, consequenter debita studiorum causâ contracta dissoluendi; consequenter etiam facultatem dedisse censetur tam diu commorandi, donec dissoluta sint, si aliter abeundi licentia non impetretur. Ita *Abbas hic monet. n. 3.* propterea quod con-

cesso principali, censetur etiam concessa accessoria, & concesso sine, censetur etiam concessa media necessaria, quod aliis uerbis dici solet: Concesso uno, censetur ea omnia concessa, sine quibus illud expediri non potest. *c. Præterea. s. c. Prudentiam. 21. in fine, de officio Delegati.*

9 Not. V. Quæ post interpositam appellationem attentata sunt, prius restitui debent ex mandato Iudicis ad quem appellatum, quàm is de causa & iustitia appellationis cognoscat. Ita *glossa finalis hic. & habetur in cap. Non solum. 7. de appellationibus in 6. c. Pastoralis, 28. §. Præterea, de officio Delegati.*

## CAPITVLVM XX.

## Ad nostram.

## PARAPHRASIS.

I. & G. Petro usuras persoluerunt, iuramento confirmantes, quod eas nec per se, nec per alium repetere uellent, neque apud Iudicem Ecclesiasticum aut secularem super ijs querelam proponere, contra uerò Petrus testamentum condidit, in quo hæredes obligauit, ut omnibus à quibus usuras acceperat, restitutionem earundem facerent, cum I. & G. timore præstiti iuramenti usuras repetere non auderent, etiam hæredes restituere intermiserunt; hoc cognito, mandauit *Innoc. III.* Archiepiscopo Pisano, ut publicè in Ecclesia promulget, aut promulgari faciat, ut qui huius rei notitiam habent, ad ferendum testimonium procedant, & si ex testimoniis, siue aliis documentis constiterit, ita actum esse, sicut dictum fuit, hæredes per Censuram Ecclesiasticam ad usuras, quas Pater eorum accepit restituendas, compellant.

## SUMMARIUM.

1. *Crimen usura est fori mixti.*
2. *Usurarius heredi mandare potest, ut usuras ijs à quibus accepta sunt restituat, non obstante iuramento de non repetendo.*
3. *Quid*

3. *Quid commodi habeatur ex hoc mandato.*  
 4. *Judex ex officio procedere potest, ad inquirendum & solvendum debita, si agatur de periculo animæ, aut peccato vitando.*  
 5. *In casu quo Diocesani crimen, aut rem gestam cognitam habentes obligati sunt illud denuntiare, vel de eo testari, ad hos per edictum Episcopi sub censura cogi possunt.*  
 6. *Et in hoc casu debitor juratus de non repetendis usuris, huic edicto parere tenetur.*

1 **N**ota I. Usuræ crimen videtur fori mixti, ita ut tùm Ecclesiasticus tùm sæcularis Iudex de eo cognoscere illudque punire possit, sicut & docui l. 4. tr. 4. cap. 2. n. 8. & n. 8.

2 **Nota** II. Usurarius mandate potest hæredi suo, ut usurarius restituat, à quibus acceptæ sunt, non obstante juramento eorum de non repetendo.

Sed quæres, ad quid vile sit mandatum huiusmodi, cum & absque eo restitui debeant ab hærede. *iuxta cap. Tus. 9. de usuris.*

Respondeo, pluribus modis. 1. Quòd Usurarius, qui restitutionem mandavit, si ea ab hærede impleta, aut cautio sufficiens data fuerit, Ecclesiasticam sepulturam consequi possit. c. 2. de usuris in 6.

2. Quòd hæres sub poena privationis commodi, quòd ex hereditate acciperet, ad executionem mandati compelli possit. l. ult. C. de fideicommiss. & docui. l. 3. tract. 5. c. 11. num. 2.

3. Quòd Usurarius censetur remittere debitori juramentum præstitum de usuris non repetendis, sicuti contra Innoc. III. probabiliter post Hostiens. hic docet *Alexand. de Nauo. num. 30.* eò quòd voluntatem defuncti, præsertim in casu isto, de quo agitur, de animæ salute, plenissimè interpretari convenit.

Sed quidquid sit de hoc, ex alio etiam capite debitores, qui iuraverunt, se non repetituros, repetere possunt ab hærede,

quia nova causa repetendi supervenit, iuxta *Rubric. huius cap. Imol. num. 3.* Quòd juramentum non repetendi usuris cessat obligare, si nova repetendi causa superveniat: Cuius ratio est, quia juramentum, quo aliquis juri suo renuntiat, cum strictam obligationem contineat, intelligi debet de jure tunc exorto, non de in posterum exorturo. *argum. cap. 2.* Vbi id docui in *Not. unic. de renuntiat.* In proposito autem casu, nova repetendi causa oritur ab hærede propter mandatum defuncti, quòd ille implere cogitur. Neque his obstat, quòd debitores in casu huius capituli, ob timorem ac reverentiam juramenti repetere intermiserunt, quia bonarum mentium est, ibi culpam timere, vbi culpa non est. *cap. 4. dist. 5.*

3 **Notandum** III. Judex nemine instante, ex officio inquirere, ac procedere potest ad solvenda debita, si agatur de periculo animæ, aut peccato vitando, licet per consequentiam id cessurum sit in commodum privatum, ut quia Usurarius, aut hæres eius iniustus usurarum detentor à peccato liberari non potest, nisi usuris promissas remittat, *cap. 1. causa 14. q. 6. & tradit Abbas hic. n. 3. & 4. Imol. n. 9.* Imò in casu huius Capituli Iudex directè procurare potuit commodum debitorum: licet enim Iudex officium suum imperitri non debeat parti non petenti, excipiendum tamen est, nisi ipsa petere impedita sit, tum æquitas postulat, ut Iudex ex officio suo succurrat, sicut docuit *Bart. in l. 1. num. 7. ff. quod vi, aut clam. Alexand. de Nauo. hic. num. 20. argum. l. Plane. 38 ff. de petitione hereditatis.* Tametsi verò, absolute loquendo, debitores agere potuissent, tamen ipsi religioni sibi id duxerunt, & idèò quodammodo impediti fuerunt, quare æquitas postulabat, ut Iudex ex officio subveniret, quemadmodum miserabilibus personis pari ratione subveniri solet. Sicut hic *Abbas docet num. 9. Alexand. de Nauo. num. 23. ac Gratian. cap. 1. & 2. dist. 87.*

4 **Notandum** IV. Si in casu aliquo Diocesani, qui crimen, aut rem gestam cogni-

c c c

gni-

gnitam habent, illud denuntiare, aut de o-  
testari obligati sunt, tum Episcopus edictum  
generale sub censura promulgare potest, vt  
denuntient, aut testentur, qui rem cogni-  
tam habent, & addit *Abbas num. 2. hic*, quod  
etiam ad requisitionem Iudicis secularis,  
Episcopus, vel similis Ordinarius tale edi-  
ctum promulgare possit, quia duæ potesta-  
tes se mutuo ad iustitiæ administrationem  
adiuvare debent.

6. Addit ex *Hosliens. idem Abb. num. vlt.*  
quod in hoc casu ipsemet quoque debitor,  
qui jurarat se vsuras non repetiturum,  
comparere possit ad denuntiandum, vel  
testimonium proferendum, vt Episcopi  
generali edicto, ac præcepto satisfiat,  
quandoquidem in eo iuramento ius & au-  
thoritas Superioris exceptum censi de-  
bet, vt constat ex Cap. præcedenti. Imò  
irritum censi debet iuramentum istud,  
quod veritatem edicere nolit, Superio-  
re inquirente in ordine ad impediendum  
peccatum, *argum. c. 80. 11. q. 3.*

## CAPITVLVM XXI.

## Ad nostram.

## PARAPHRASES.

Archiepiscopus Neapolitanus quasi co-  
actus iuramentum edidit (fuitasse Ca-  
pitulo suo, ait Gloss. magna) quod ju-  
diciarium ordinem in omnibus causis  
servare velit. Hoc iuramentum exten-  
di non debet ad causas notorias, cum  
enim secundum Canones & Ecclesia-  
sticas traditiones in notoriis, seu ma-  
nifestis, ordo iudiciarius non servandus  
sit, non est credibile, quod Archiepisco-  
pus jurando noluerit se obligare ad a-  
gendum contra Canones, alioquin non  
iuramentum, sed perjurium edidisset,  
quod observandum non esset. Ea pro-  
pter Innoc. III. iuramentum Archiepi-  
scopi benignius interpretatus. Respon-  
det eum ratione iuramenti sui in causis  
manifestis ordinem iudiciarium serva-  
re non esse obligatum,

Imò verò si penitius rem considerare veli-  
mus, cum iuravit se ordinem juris ser-  
vaturum, at verò ordo juris postulet, vt  
in manifestis causis iudiciarius ordo nõ  
per omnia observetur, videri posset Ar-  
chiepiscopus ex iuramento potius ob-  
ligari ad non servandum ordinem juris  
in dictis causis, sed planius & facilius  
explicatur, quod jurare voluerit, serva-  
re ordinem iudiciarium in causis om-  
nibus, in quibus de iure observari de-  
bet; secundum hunc intellectum Archi-  
episcopus & iuramentum servabit, &  
à Canonicis sanctionibus non recedet.

## SUMMARIUM.

1. In causa notoria juris ordo non requiri-  
tur, sed nec probationibus opus est, ne-  
que Reus citandus, sed in absentem sen-  
tentia ferri potest, si notorium sit, ei nul-  
lam defensionem competere.
2. Nec solennitas sententia necessaria erit, sal-  
tem in civilibus causis, sed solum Iu-  
dicis præceptum & executio, qua in iur  
sententia est.
3. Iuramentum Episcopi contra ea, quæ sacris  
Canonibus sunt statuta, editum, teme-  
rarium & irritum est.
4. Iuramentum intelligi debet secundum ma-  
teriam subiectam.
5. Responso data hoc cap. ab Innocentio utilis  
est ad interpretandas Capitulationes Ep-  
iscoporum, quas in electione sui jurant.
6. Iudex partibus etiam invitis, quandoque  
potest in causis summaris ordinem ju-  
diciarium observare, non tamen semper  
debet.
7. In causis levioribus, quæ ex natura sua sum-  
marie tractanda sunt, nec etiam potest  
processum ordinarium instituire.
8. In dubio iuramentum interpretandum est,  
vt licite & valide editum sit, non autem  
vt temerarium, aut irritum sit.
9. Verba generalia interdum restringi debent  
secundum rationem, & conditiones ob-  
iecti.

**N**Otandum I. In causa notoria juris or-  
do non requiritur, sed nec probationi-  
bus

bus opus est. *c. De manifesta. 17. 2. q. 1. c. 3. De testibus cogendis. & c. Tua. 8. de cohob. Cler. & mulierum.* Neque Reus citandus est, sed in absentem etiam sententiam ferre possit Iudex, si notorium sit nullam ipsi defensionem competere. *argum. c. Olim. 12. De sententia & re iudicata, & tradit Abb. hic. num. 4. Alexand. n. 17.* Alioquin semper requiritur citatio, quippe cum defensio sui, si forte accusato competere posset, sit de jure naturali, vt docuit, *3. tr. 6. c. 3. n. 2.*

2 Denique nec sententiæ solennitas necessaria erit saltem in civilibus causis, sed solum Iudicis præceptum & executio instar sententiæ est, si causa ita notoria sit, vt simul etiam pateat, condemnando nullam exceptionem, aut defensionem competere posse. In criminalibus vero causis sententiam necessariam esse, admonet *Imol. hic. n. 6. Alexand. n. 19.* Vbi ait, quod pœna per Iudicis sententiam imponenda sit, & ita intelligendam esse *gl. in cap. 3. verb. non requirant.* de testibus cogendis, & *gl. in cap. Porro. 3. verb. notoria. de divorciis.* Vide, quæ dixi *in cit. c. 3. n. 2.*

3 Notandum II. Juramentum Episcopi si sit contra ea, quæ sacris Canonibus statuta sunt, temerarium & irritum censi debet.

Ratio est, quia sicut Episcopi contra Canones statuere nil possunt (vt docui *l. 1. tr. 4. c. 7. n. 3. §. Ex his.*) ita neque pacto, vel juramento promittere.

4 Notandum III. Juramentum intelligi debet secundum materiam subiectam, quia imitatur naturam actus, cui adiungitur. *cap. Quemadmodum. 23. hoc tit.* quare si editum sit circa materiam juris seu obligationis præexistentis, ultra eam non extenditur, sed eidem adaptatur, sicut videre est, quando Archiepiscopus iuravit se in omni causa ordinem iudicarium servaturum esse, respondit Pontifex interpretandum esse de omni causa, in qua iudicarius ordo de jure requiritur. Quæ responsio Innocentij Papæ utilis est ad interpretandas capitulationes Episcoporum, quas in electione sui Cap. jurant, vt non extendantur ad impedendam potestatem & jurisdictionem Episcoporum, quatenus ea à SS. Canonibus stabi-

lita & definita fuit, sicut exemplis allatis explicatur. *l. 4. tract. 3. cap. 9. num. 2. exempl. primo.*

Obijcit *Gloss. hic. verb. Requirit.* Quod etiam in causa notoria Iudex ordinem iudicarium servare possit sine peccato. *arg. c. Bonna. 23. verb. Porro. de electione.* & bene Respondet: tamen id quandoque fieri possit. v. g. ad vitandum scandalum, tamen quod in omni causa notoria ordo iudicarius observari debeat, id illicitum esse, & SS. Canonibus repugnans, quia frequenter jus actoris lædatur, & disciplina iudicialis frangeretur, frustra protrahendo iudicium, & probandi onere assumpto, ac res notoria sit, cum nullæ esse possint probationes validiores, quam facti evidentia.

Viliter hinc querit *Abbas n. 8.* Vtrum Iudex juramento se obligare possit, vt in causis omnibus summariis ordinem iudicarium servare debeat.

Et rectè respondet: Licet Iudex partibus etiam invitis ordinem iudicarium in causis, de quibus sermo est *in Clement. 2. de iudiciis.* observare quandoque non prohibeatur, tamen id semper facere debere repugnat potestati secundum jura ipsi ob bonum publicum constituta, sicuti in simili paulò ante de Episcopo dictum. Veruntamen causæ leviores, quæ suapte natura summarie tractari debent, ex partibus contradicentibus, per ordinarium processum protrahi non debent, vt hinc *Abb. & vide quæ dixi in c. De libelli oblatione. Imol. hic. n. 4.*

Nota IV. In dubio juramentum ita interpretari debemus, vt licitè, ac validè editum sit, non autem vt temerarium, aut irritum sit, ita *gl. hic. verb. Benignius.* & habetur etiam *in c. Cum tu. 16. de testibus.*

Not. V. Verba generalia non semper generaliter accipi, sed interdum restringi debent, secundum naturam & condiciones obiecti, ne inconueniens & absurdum aliquod sequatur, ita *gl. hic. verb.*

*in illis. Imol. hic. n. 5.*

\* \* \*

Ea te.

## PARAPHRASIS.

Innocentius III. mandauerat Episcopo Turritano, vt à Iudice Carolitano iuramentum fidelitatis Ecclesiæ Romanæ præstandum acciperet, sed Iudex ille recusauit eâ præensione, quòd iam antè Pisano Archiepiscopo, saluo Apostolicæ Sedis honore, tale Iuramentum præstitisset. Ad hoc respondet Innoc. onus non remitti, sed magis augeri, si alicui improvidè solvatur, quòd alij præstandum esset; quare cum cõstet Iudicem ad fidelitatem Pontifici & Romanæ Sedi præstandam obligari, hinc sequitur, iuramentum, quòd Pisano Archiepiscopo editum fuit, pro illicito censendum esse, si censetur contrarium esse iuramento, quòd Sedi Apostolicæ præstari debet, atque idè illo priore illicito nil obstante, licitum, imò debitum Sedi Apostolicæ iuramentum edendum fore. Sin autem contrarium illud iuramentum huic non sit, tum iterum Iudex subterfugere non potest, quòd minus præstet.

## SUMMARIUM.

1. Soluens alteri quòd tibi debet, non liberatur sed obligationem suam auget.
2. Nisi coactus soluat Tyranno, vel Pralato intruso.
3. Iuramentum illicitum est, imò irritum etiam, quòd cedit in præiudicium seu iniuriam alterius.
4. Probatio non excusat id, quòd indebitè sit.

**N**Otandum I. Qui solvit alteri id, quòd tibi debet, is non liberatur, imò obligatio eius aggravatur, quia iterum solvere tibi cogitur.

Ex quo colligitur, quòd prædo si prædam iniustam cum focio dividat, obligationem suam augeat, quia partem, quam focio dedit, in defectum eiusdem, id est, si focius non restituat, ipsemet, qui abstulit, ex suo restituere cogitur, ita *gl. hic, verb. quòd alij.*

Excipiendum est, nisi debitor à Tyranno, vel Pralato intruso per vim & metum gravem, cogatur, vt ipsi solvat, quòd Reip. aut Ecclesiæ debetur, tunc ita solvens liberatus censetur, sicut docet *Bart. in tr. de Tyran. n. 23. Abbas hic, n. 1.* idque propter æquitatem meritò receptum est, ne alioquin innocens bis solvere cogatur.

His adde quòd *gl. cit. notat*, & habetur in *l. Falsus. 43. ff. de furtis*, quòd falsus creditor, seu qui se simulat creditorem, debitum accipiendo, furtum committat, si pecunia, vel alia res mobilis sit, quæ ei solvitur.

**Not. II.** Iuramentum illicitum est, imò irritum etiam, si cedit in præiudicium, seu iniuriam alterius, ita dictum est supra *c. Venientes* & sumitur *ex hoc cap.* cum enim tribunal eius Iudicis nomine feudi obligatum esset sedi Apostolicæ, idè Iudex cum in officium assumptus fuit, fidelitatem Romano Pontifici iurare debebat, & consequenter si alteri, videlicet Archiepiscopo iuramentum edidisset, quòd Iuri sedis Apostolicæ repugnaret, illud illicitum fuisset, & non observandum.

**Not. III.** Protestatio non excusat id quòd indebitè sit, censetur enim contraria facta *c. Sollicitudine 54. de appell. gl. in Clement. Gratia. verb. Renuntiare, de rescriptis.* Vt si quis per ignominiam alterum mentiri dicat, saluo honore eius, quòd exemplum dat hinc *Alex. de Nauo. n. 5.*

## CAPITVLVM XXIII.

Quinta vallis.

## PARAPHRASIS.

Filiæ Quintavallis aliis mulieribus contumeliâ irrogârunt, ea propter ipse iurauit, quòd pro satisfactione offensarum, earum mandato parere vellet, tum ipsæ sub debiti iuramento hoc illi iniunxerunt mandatum: Vt si eius filiæ aut vxor verbum contumeliosum in ipsas dixerint, filias quidem exheredare deberet, vxorem verò à se remove. Super hoc consultus Innoc. III. Respondit, iuramentum Quintavallis

Vallis licitum fuisse, sed mandatum mulierum illicitum, ac proinde ipsis iniungendum esse, ut reuocent mandatum, alioquin denuntiandum quod Quinta vallis ad mandati eius obseruationem non teneatur.

## SUMMARIUM.

1. Compromitti potest pro satisfactione iniuriæ in partem quæ iniuriam passa est, quod standum sit eius arbitrio.
2. Sub juramento generaliter antè præstito de stando alterius mandato, vel arbitrio, non comprehenduntur illicita.
3. Pater non potest exheredare prolem, nisi ex legitima causa, siue per leges expressa.
4. Facultas exheredandi trahit secum facultatem negandi alimenta non quidem naturalia, sed competentia.

**NOT. I.** Pro satisfactione iniuriæ compromitti potest in partem quæ iniuriam passa est, quod standum sit eius arbitrio, seu arbitramento; nam licet nemo in propria causa iudex esse possit, tamen qui tale arbitrium circa contractus, damnorum compensationes, aut satisfactiones pro iniuriis, secundum quod æquum videtur, pronuntiat, non sustinet partes iudicis, prout dixi in *Rubr. tit. de arbitr.* quamobrem mulier tale arbitramentum ex promisso dare potest, ut hinc apparet, tametsi arbitrium secundum formam iudicii pronuntiare nequit. *c. Dilecti. 4. de arbitr.*

**NOT. II.** Sub juramento generaliter antè edito, quod stare velis mandato, vel arbitrio alterius, non comprehenduntur illicita, seu quæ honestè obseruari non possunt, cuiusmodi erant ista, ut Pater filios ob causam non legitimam exheredaret, uxorem à se remoueret. Quare tale arbitrium, aut mandatum ipso iure irritum est, nullamque obligationem pariens, ut hinc & in *c. Veniens. 15. hoc. tit.*

Porrò utrùm compromissor, qui iurauit se staturum arbitrio, illud obseruare teneatur, tametsi manifestè iniquum sit, dummodo sine peccato seruari possit, de hoc dixi in *c. Per nos. de arbitr.*

**NOT. III.** Pater non potest exheredare filium, aut filiam, nisi ex causa legitima, siue per leges expressa; quare neque valet pactum, aut iuramentum sine causa, legibus expressa exheredandi filium, cum legitima portio sicut & alimenta necessaria omni jure filiis debeantur.

Causæ autem, ob quas Parens filium aut filiam exheredare potest, numerantur in authentica, ut cum de appellatione cognoscitur. *c. 3. & 4. collat. 8.* & numerantur hinc in gloss. *exheredari.* Videri potest *Bald. in authentica*, non licet. *Cod. de liberis præteritis.*

Ad extremum obiter hinc aduertendum, quod facultas exheredandi secum ferat facultatem alimenta negandi, ita ut ob quamcunque causam Pater filium, aut filiam exheredare potest, eidem etiam alimenta & consequenter dotem filię nubenti negare queat. Secundum gloss. receptam in *l. Si quis à liberis. 5. §. Si quis ex his. ff. de liberis agnoscendis. Joann. Andr. hinc. n. 14. Alexand. de neu. n. 21. Abb. hinc & commentatorem eius. n. 5.* Est tamen id intelligendum de alimentis competentibus, at verò alimenta necessaria ad vitam degendam Pater naturali jure filiis suis, quantumcunque ingratiss, aut immorigeris semper præstare tenetur ut docui. *l. 5. tract. ult. p. 3. c. 5. n. 8.* Reliqua quæ hoc loco DD. tradunt, pertinent ad *lib. 1. Decretalium, titulum, de arbitr.*

## CAPITVLVM XXIV.

Tua.

## PARAPHRASIS.

Duo Coniuges inuicem jurârunt, quod alter ab altero Coniugii debitum petere nunquam vellent; postea verò maritus pœnitens mulierem repetiuit, sed illa ad eò renuit, ut mallet ad Saracenos transire, quàm viro se dare. Super hoc consultus Innocent. III. mandat Archie-



chiepiscopo Taraconensi, vt Coniuges hos ad continentiam mutuo consensu fouendam hortetur, quòd si paruerint, tunc permittat eos seorsim commorari, alioquin mulierem per excommunicationis censuram compellat, vt ad virum revertatur, & tanquam vxor cum eo vivat, quandoquidem temerarium, fuit eorum iuramentum, & vterque adulterium commisit.

## SUMMARIUM.

1. Irritum est iuramentum duorum coniugum, si juratò sine iusta causa sibi invicem promittant, quòd vti matrimonio uolint.
2. E contra validum est & obligatorium si iuratum hoc pactum fiat causà pietatis & continentie.
3. Si mutuo consensu coniuges continentiam vouent, post votum tanquam frater & soror in eadem domo ac mensa conuiuere debent, modo honestè ac decenter id fieri queat.
4. Post mutuum votum si alter coniux adulterium committat, vel si vterque fornicatus sit, utroque petente, Episcopum matrimonium redintegrare posse affirmant aliqui.
5. Sed rectius negatur.

**NOT. I.** Si Coniuges temerè & sine iusta causa conueniant inter se, ac jurent, quòd matrimonio vsuri non sint, irrita est promissio & iuramentum. Ratio est, quia matrimonium institutum est ad Coniugii vsu, tum propter prolis generationem, tum propter fornicationem vitandam, vt colligitur ex *Apostolo. 1. ad Corinth. 7.*

**NOT. II.** Validum est & obligatorium mutuum pactum & iuramentum continentie, si à Coniugibus fiat causà pietatis & continentie, ita hic, & docet S. Augustinus Epistolâ 199. ad Ecditiam, & refertur à Gratiano. c. *Quod Deo. 33. q. 5. & dixi l. 5. tract. 10. p. 3. e. 7. n. 1.*

Sed dubitatur 1. Si mutuo consensu continentiam voueant Coniuges, vtrum

concessum ipsis sit separatim habitare in saculo?

Resp. Cum Turrecremata in *cit. c. quod Deo. Sanch. l. 9. de matr. d. 5. in fine & d. 37. n. 14.* id non esse eo modo concessum, vt mutua obsequia & dilectio inter ipsos refrigescat atque extingatur cum ea ex Sacramenti institutione, adeoque iure diuino requiratur, vt videre est apud eundem. *Sanch. l. 9. de matrimon. disp. 9.* quare Maritus & vxor post votum continentie, tanquam frater & Soror in eadem domo, ac mensa conuiuere debent, lectis ac cellulis separati, dummodò id honestè ac decenter fieri possit, quod dico propter ordinem Sacerdotalem & Episcopalem, nam sacerdotem præsertim Episcopum ad vitandam suspensionem & alia incommoda magis decebit, vt separatà domo Coniugem alat, eique prouideat, ac quatenus eius personam decet, charitatis officia exhibeat, sicuti legi potest apud S. Leonem. *Epist. 92. ad Episcopum Narbonens. c. 3. in Concil. Turonens. 2. Can. 13. & apud Gratianum. dist. 30. c. 11.*

Quamobrem quod de Coniugibus hec c. dicitur, si mutuo consensu coniuges continentiam vouerunt, permittendum esse, vt vnus sine alio commoretur, explicari debet, quòd non conuiuere debent tanquam maritus & vxor; non autem, quòd ita inter se separari debeant, vt mutua officia charitatis non præstent; id enim vel maximè in hac causa præstari debet secundum Ecclesie iudicium, vt separatio non fiat ex odio, vel auersione, neque ita, vt mutua charitati obstare possit.

Dubitatur 2. Si post editum mutuo consensu inter Coniuges Continentie votum, alter adulterium committat, vtrum volente innocente, vel si vterque coniux fornicatus sit, vtroque petente, Episcopus matrimonium redintegrare possit.

Ita affirmant aliqui apud *gloss. in cit. c. Quod Deo. verb. persevera. gloss. fin. 4. in c. Nosse. 3. 13. q. 1.* idque Abbas. *hic. n. 6.* existimat saltem tunc fieri posse, si coniux in periculo continentie versetur, quia sicuti Con-

Coniugi, inquit, non permittitur, ut Religionem ingrediatur, altero coniuge in sæculo manente & continentiam vouente, si is iuuenis sit, & in periculo incontinentiæ versari videatur. *c. Cum sis. 4. 6. Ad Apostolicam. 13. de conuers. conjugatorum.* Ita & permittendum non est, ut in tali statu coniuges voueant, ac permaneant in sæculo.

Sed contrarium rectè docent *hæc Alexand. de nouo. n. 10. Sanchez. l. 1. 9. de matrim. d. 37. n. 12.* quia licet fieri potuerit, ut imprudenter votum continentiam coniuges ediderint cum periculo eius non seruandi, tamen postquam votum ediderunt, eo obligati manent, & contra incontinentiam alia remedia adhibere tenentur, donec dispensationem super voto impetrent ab eo, qui potestate eâ præditus est, videlicet Papa. Ut docui *l. 4. tract. 4. 6. 8. n. 15.*

## CAPITVLVM XXV.

## Quemadmodum.

## PARAPHRASIS.

Titius iurauit Caiæ, se eam ducturum, postea Caiæ cum alio fornicatur, debetne Titius eam ducere propter iuramentum. Respondet Innocent. III. Quod non: idque probat argumento ducto à maiore ad minus, si vir contrahens matrimonium cum Caiæ iurasset, quod ei ut uxori semper cohabitare veller, ac postea Caiæ adulterium committat, dimittere eam non prohibetur, ergò multo minus si nondum duxerat, sed ducturum se promisit mulierem, quæ postea fornicatur, ducere non tenebitur eam.

Ratio vtriusque partis hæc reddi debet, quia sicut in priori iuramento subintelligitur conditio, si contra legem coniugis mulier non peccet, ita etiam in posteriori iuramento conditio intelligi debet, si contra legem desponsationis mulier non peccet, quod verò argumentatio sit à

maiore ad minus, negatiuè concludens probat Pontifex ex Poëtæ versu:

Turpius eijcitur quàm non admittitur  
hospes.

Constat etiam maius esse vinculum matrimonii contracti, quàm non contracti, sed contrahendi; quare si mulier post contractum matrimonium fiat non tantum leprosa, sed paralytica, vel oculum, aut natum amittat, seu turpius quidpiam eï accidat, maritus eam deserere non potest, & tamen si tale quid inopinato mulieri post sponsalia etiam jurata eueniat, à sponsalibus recedere potest sponsus.

## S V M M A R I V M.

1. A mutuo pacto resistere licet, altero prius fidem violante, qui insuper etiam accusari potest de violato pacto.
2. Sponsalia de futuro etiam jurata gravi stuperveniente mutatione solui possunt.
3. Lenior causa sufficit ad dissolutionem sponsalium, quàm ad diuortium inter coniuges instituumdum.
4. Iuramentum temerarium est, si vir juratò promittat uxori, quod eam nolis accusare de illo crimine committendo.
5. Si vir iurasset, quod uxorem de adulterij crimine nollet accusare, tutius ager propter iuramenti religionem, denuntiando adulteram Ecclesiæ, non ad diuortium, sed ad poenitentiam agendam.
6. Potest, qui iurauit criminisum de crimine se non accusaturum, (& vir uxorem de adulterio) saluo iuramento eum etiam denuntiare Pralato ad emendationem; licet absolutè vir contra uxorem lapsam in adulterium, agere possit.

**N**OTANDVM I. A contractu, seu pacto reciproco potest aliquis resilire, si alter fidem violet, imò qui contra pacem mutuo fœdere stabilitam aliquid egit, eò quod ab altero prius violatum sit, is potest insuper accusare illum, tanquam qui fœdus prius violauit; ipse autem propriè loquendo,

quando, non violauit, cum jam ruptum fuerit fœdus, sicuti docet *Bartol. in l. Cum Pater. §. Libertis. n. 7. ff. de Legat. 2. Abbas. hie. n. 3. Alex. n. 4.*

Neque obstat si iuramentum promissioni aut fœderi seruando accedat, sortitur enim iuramentum naturam & conditiones actus cui adiungitur. *c. Quemadmodum. 23. hoc tit.* quare sicuti promissio hanc tacitam conditionem suapte naturâ continet, seruabo fidem, si & tu seruaueris, ita similiter iuramentum intelligi debet, sicut docui *in s. 3. hoc tit.*

<sup>2</sup> Notandum II. Sponsalia de futuro solu possunt, si grauis mutatio superuenerit, ad quod promittentis intentio, saltem virtualis, se non extendit, sicuti explicauimus. *l. 5. tract. 10. p. 1. c. 2. n. 8. & l. 4. tract. 3. c. 9. n. 3. & 5.* idque locum etiam habet, tametsi sponsalia iurata sint, quia iuramentum intelligi debet, secundum materiam subiectam; sortitur etiam naturam & conditiones promissionis, cui adiungitur, ita ex *hoc c. colligitur & ex l. ult. C. de numeratâ pecunia.* neque promissionis obligationem iuramentum auget extensiuè, sed intra eisdem terminos intensiuè.

<sup>3</sup> Nota III. Matrimonium contrahendum facilius impeditur, quam contractum dissoluatur, non tantum quoad substantiale vinculum, sed etiam quoad thorum seu cohabitationem, breuius dici potest, quod leuior causa sufficiat ad sponsalium dissolutionem, quam ad diuortium inter Coniuges instituendum.

### §. Illud autem.

<sup>4</sup> **T**imerarium iuramentum est, si maritus uxori iuramento promittat, quod eam de nullo committendo crimine velit accusare, nam si mulier infidelis fieret, & marito sine contumelia creatoris cohabitare noller, aut eum ad infidelitatem trahere conaretur, deberet utique eam si respicere noller, secundum SS. Canones dimittere.

Sed quid si specificè jurasset, quod su-

per adulterii crimine eam impetere noller, seruandumne esset iuramentum?

Videtur quod non, cum scriptura sacra dicat, quod Patronus turpitudinis est, qui celat crimen vxoris, & secundum regulam Euangelii; si primò & secundò correpta vxor recipiscere nolit, dicendum est Ecclesiæ, vt tanquam Ethnica & publicana vitetur, ne alioquin libera ei peccandi licentia tribuatur. In contrarium verò est, quod maritus vxori peccanti dimittere potest, non tantum septies, sed septuagies septies secundum Euangelii veritatem.

His in vtrumque perpenfis. Respondit Innocent. III. ad quæst. Tutius esse in hoc casu, vt maritus propter Religionem iuramenti ad diuortium celebrandum non accuset, sed ad pœnitentiam agendam denunciât Ecclesiæ.

Not. I. Qui iurauit se criminofum de crimine non impetiturum, criminaliter aut ciuilitè, is nihilominus potest eum denunciare Prælato ad emendationem seu pœnitentiam agendam, sicut docui *l. 4. tract. 3. c. 7. n. 2.* Ratio est, quia iuramentum strictæ interpretationis esse debet, neque vltra verborum proprietatem, aut communem acceptionem extendendum.

Notand. II. Qui iurauit mulieri si adulterium commiserit, quod contra ipsam agere non velit, ad diuortium celebrandum licet absolute loquendo contra lapsam in adulterium agere possit, tutius verò operabitur, si eam Ecclesiæ Canonicè denunciât ad agendam pœnitentiam.

Prior pars probatur ex eo, quod tale iuramentum irritum sit, ac non obligatorium; non enim valet iuramentum promissorium contra bonos mores naturales, tale autem iuramentum est contra bonos mores naturales, cum inuitet hominem ad liberè peccandum promissâ & iurâtâ ei immunitate. *argumento c. Penult. de consuetudine. & l. Illud conuenire. 13. ff. De pactis dotalibus.* vbi dicitur, non valere pactum, quo aliquis inuitatur ad delinquendum, v. g. si furatus mihi fueris, non te accusabo, licet enim commissum furtum

## Etsi Christus.

## PARAPHRASIS.

Abbas & Monachi Castellionis à præstando judiciali juramento abhorrebant, tanquam illis illicito. 1. Quia Christus *Matth. 5.* dixit: Ego dico vobis, non jurate; sit autem sermo vester, est, est, non, non; quod autem his abundantius, est à malo. 2. Apostolus *Iacobus 6. 5.* dixit: Ante omnia fratres mei nolite jurare.

**A**D hæc pluribus verbis respondet Innoc. III. summa doctrinæ in his consistit.

1. Iuramentum secundum se non malum esse, sed ex malo, videlicet peccato, & pœna peccati prouenire, si enim homines essent, vti deberent veraces, fideles, & mutuam sibi fidem habentes, tunc simplex asseueratio sufficeret.

2. Christus & S. Iacobus iuramentum non prohibuerunt simpliciter, sed ne falsò, aut temerè, aut sine necessitate iurètur; debet enim iuramentum hos comites, veracitatem, iudicium, & iustitiam habere. *Ierem. 4.* Dein per Creaturam jurare non est licitum, nisi referendo ad Creatorem, cum per solum Deum vltimatè ac principaliter iuramenta religiosa fieri possint, sicuti Apostolus scripsit, *Habr. 6.* Quòd homines per maiorem se jurant, videlicet per Deum.

Porro, quòd iuramentum secundum se & absolutè non illicitum sit, scripturæ testimoniis ostendit Pontifex. Quia & Angelus in *Apocalypsi* legitur iurasse per *Vincetorem in secula seculorum c. 10.* Et Christus non simplici asseueratione contentus fuit, sed addidit: *Amen dico vobis. In veritate dico vobis. Luc. 4.* Apostolus quoque non semel iuravit, *Testis est mihi Deus. Rom. 7.* Deus quoque in veteri Testamento tanquam iurans introducit. Iuravit Dominus,

d d d

nus,

furtum condonare, & actionem remittere possim, non tamen de remissione pacisci, antequam committatur; quòd si verò huiusmodi pactum bonis moribus repugnare, ac Reipublicæ noxium censetur, sequitur, quòd iuramento confirmari non possit, sicuti docui *l. 4. Tract. 3. c. 6. assert. 6.*

Posterior pars probatur. Cùm enim in hoc casu maritus non teneatur vxorem adulteram accusare ad diuortium celebrandum, sed illi condonare possit, vti docui *l. 5. rr. 10. p. 3. c. 7. n. 13.* & alio modo eius emendationem procurare, inprimis priuata monitione, postea, si illam spernat, canonicâ denuntiatione, ideò tutius est, vt hunc modum maritus eligat, idque ob iurandi religionem, quandoquidem quibusdam rationibus videri potest, iuramentum illud hominem obligare saltem ex religionis virtute propter regulam canonicam: *Omne iuramentum promissorium erga hominem seruari debet, si sine peccato seruari possit.* Cùm itaque hoc iuramentum consultum, imò tutius sit obseruare, vti Pontifex hîc respondet, sequitur, quòd obseruari debeat, ideòque maritus contra vxorem ad diuortium celebrandum agere non possit, sicuti sentit *Imola hic n. 14.*

Sed contrarium mihi magis placet, quòd docet *Ioan. Andr. hic. n. 9.* quòd iuramentum illud non sit obligatorium, quippe turpe & contra bonos mores naturales, cùm rationem scandali in se contineat, siue præbeat proximo peccandi occasionem. Quare responderetur ad fundamentum oppositum, quòd regula illa canonica hanc vnicam limitationem habere debeat, vt videlicet ab ea excipiatur casus iste, si legibus iustis prohibita sit alicuius rei promissio, tanquam turpis, & Reipublicæ noxia, non autem prohibita sit executio, v. g. vt aliquis non teneatur de furto, de adulterio; licet enim dolum, furtum, adulterium remittere, seu de eo non accusare concessum sit, non tamen pacisci de non accusando criminaliter, aut ciuilitè, quia illud peccandi occasionem non præbet, hoc verò maxime,

nus, & non pœnitebit eum, *Psalms. 109. Matib. 5.* præcipitur: Reddes Domino juramenta tua. Denique addit quædam prohiberi, quia secundum se & semper mala sunt, ut furtum, adulterium, quædam verò prohiberi, non quia per se mala sunt, sed quia frequenter & indiscretè fiunt, inde malum oritur. Ideò non ipsa res simpliciter prohibetur, sed abusus v. g. vini potatio, & tale quoque est juramentum, quod absolute malum non est, & propter necessitatem licitum, sed frequentatio eius in malum, videlicet perjurium inducit, juxta illud *Ecclesiast. 23.* Vir multum jurans replebitur iniquitate. Itaque ad dubitationem Religiosorum respondet, tamen si ipsi ad perfectionem vitæ Christianæ conari debeant, tamen si alij testes in causis, quas ipsi habent in judicio desiderentur, concessum ipsis esse, ut testimonium perhibeant veritati. vide quæ docui *l. 4. tract. 3. c. 1. n. 4. & seq. & c. 3.*

## CAPITVLVM XXVII.

Sicut.

## PARAPHRASIS.

Vacante Ecclesia Tudertina Canonici in quædam capitula jurârunt, quæ in damnum Episcopatus vergebant, postea Episcopus electus, qui & ipse vnus ex jurantibus fuerat eo tempore, adhuc in minoribus constitutus, consuluit Innoc. III. vtrûm his juramentis obligetur, præsertim cum per ea Episcopales redditus minuerentur. Pontifex rescribens ad Episcopum Ameliensem testatur, quòd dicto Episcopo ob juramentum editum pœnitentiam imposuerit, vterius verò considerans, quòd non juramenta, sed periuria potius sint dicenda, quæ contra Ecclesiasticam vtilitatem attentantur, mandat Episcopo Ameliensi, ut super his inquisitionem instituat per Canonicos, & si, quæ dicta sunt, vera cognoscat, videlicet quòd juramenta illa in damnum Episcopalis juris edita s̄nt, in statum pristinum reducat.

## SUMMARIUM.

1. Episcopus vel Prælatus Ecclesiasticus, jurans in aliqua, quæ in Episcopatus vel Prælatu præiudicium vergunt, non obligatur eo juramento.
2. An & quando possit Episcopus ex redditibus mensæ suæ aliquid donare Capitulo.
3. Læsis juribus Episcopatus, vel alterius Ecclesiæ, superior ex officio inquisitionem instituere potest tam ad emendandum peccatum, quàm Ecclesiæ succurrendum.

**NOT. I.** Si Episcopus, vel alius Prælatus iuravit aliquid se seruaturum, quæ in Episcopatus, seu Prælatu præiudicium vergant, non obligatur juramento. Ratio est, quia Sede vacante Canonici non possunt juribus Episcopalibus, aut Prælatu præiudicium afferre. *c. 1. & seq. no Sede vacante aliquid innouetur*, neque redditus Episcopales diminuere, *c. Si qua. de rebus. 42. 12. q. 2.*

**Corollarium.** Si Episcopus in capitulatione sua iuravit, se omnia acturum cum Capituli consensu, aut priuilegium nullum daturum, non requisito Capituli consensu: Intelligi debet in iis rebus, in quibus consensus Capituli secundum Canones requirendus est, non autem quòd amplior obligatio Episcopo imponatur, per quòd eius Episcopale officium ac potestas, quòd ipsi secundum Canones competere debet, restringatur.

Quærunthic incidenter DD. vtrûm Episcopus ex redditibus mensæ suæ quidpiam Capitulo donare possit.

**Resp.** Si id fieri possit sine Episcopalis sui statûs detrimento, quia ipse redditibus abundat magis, quàm Capitulum, tunc fieri id potest in præiudicium donantis Episcopi, non autem successeris, quo minus is reuocare possit. Prior pars habetur in gl. communiter recepta, in *Clement. 2. de rebus Ecclesiæ non alienan. verb. Ecclesiam*. Posteriorem partem tradit *Abbas. hic. n. 4.* & probat. Quia ad alienationem iurium, aut bonorum Episcopalium requiritur consensus

sus Capituli *e. Sine except.* 12. q. 2. Capitulum autem consensum dare non potest in proprium suum commodum *cit. Clement. 2.* Ergo &c. Quod si autem inferior Ecclesia Cathedrali Capitulo quidpiam ex justa causa donare velit, sufficere, si consensus & auctoritas Episcopi interueniat, cum auctoritatem is non præstet in proprio facto, si commodum directe inde non percipiat sicut idem *Abbas. hic notauit.* Dein si fundus aliquis Episcopi tractatu præcedente & consensu Capituli vendendus esset, tunc etiam Capitulum emere posset, sicut bene hic docet *Abbas. in fine, argument. l. Pupillus. s. §. item sibi. ff. de auctoritate tutorum.* ubi dicitur, quod in simili casu tutor à pupillo emere possit.

3 Nota II. Si iura Episcopatus, alteriusque Ecclesiæ lædantur aut malè administrantur, superior ex officio inquisitionem instituere potest, idque partim ad peccatum emendandum, partim ad Ecclesiæ, quæ se ipsam defendere non potest, succurrendum, sicuti tradit *Abbas. in c. Ad nostram. 20. n. 8. hoc. tit.* Sed & Episcopus, si voluisset, potuisset agere ad recuperationem iurium ac reddituum suorum, partim quia antea cõsenserat, & jurarat, tanquã Canonicus; id ipsum verò quod vacante Sede actum & statutum erat, postea retractare potuit, tanquam Episcopus, sicuti *gl. hic. monet verb. reducas. argum. c. Quod sicut. 28. in fine de elect.* partim quia alienationem iurium Episcopatus, etiam qui eam fecit, reuocare potest allegando propriam turpitudinem. Sicuti docuit *l. 3. tract. 4. c. 10. n. 4.*

## CAPITULUM XXVIII.

## Cùm contingat.

## PARAPHRASIS.

Si mulier consentiēs alienationi rerum dotalium, aut propter nuptias donatarum factæ à marito, juramento confirmet, quod eiusmodi alienationem impugnare nolit, sed postea soluto matrimonio nihil omnia oppugnet alienationem,

quæritur, vtrum licitè id agat. Respondet Innoc. III. Tamen si secundum leges ciuiles mulieris consensus in eiusmodi alienatione obligatorius non sit, tamen ne per talem prætextum periuriis via aperiat, mulieribus, seruandum esse eiusmodi iuramentum, si absque vi & dolo spontè præstitum sit, & in alterius præiudicium non redundet; neque obseruatum vergat in dispendium salutis æternæ.

## S Y M M A R I V M.

1. Ius ciuile prohibet & resistit alienationi fundi dotalis.
2. Donata propter nuptias à Marito, ne quidem cum consensu vxoris alienari possunt. Nisi Uxor post lapsum biennium consensum præbeat, & ex aliis bonis Mariti recuperare possit dotem.
3. Sunt ea etiam specialiter vxori pro dote obligata.
4. Mulier sponte consentiens in alienationem dotis, vel Rei donata propter nuptias, non peccat, neque puniri (per se loquendo) potest.
5. Si cum iuramento consentiat renuntians privilegio, obligationem iustitia contrahit, & quidem efficaciter.
6. Pactum, sine contractus, qui lego ipsi resistente, ob priuatum commodum, irritum est, per accessionem iuramenti confirmatur, ita ut etiam in foro externo actio tribuatur.
7. Credibile tamen est, eiusmodi pactum si bonis moribus & iuribus videatur contrarium, etiam iuratum, à seculari potestate posse infirmari quoad obligationem iustitia & religionis.
8. Et hoc duobus modis. Primus hic refertur.
9. Modus secundus.

PRO intellectu aduerte 1. Quod lex ciuilis prohibeat & resistat alienationi fundi dotalis, i. e. Rei immobilis ab vxore marito in dotem data. *l. 1. seq. ff. de fundo dotali. & institut. quibus alienare non licet. in princip.* Vbi dicitur neque consentiente muliere talem alienationem fieri posse, ne sexus muliebris fragilitas in perniciem substantia earum conuertatur.

2 Adverte 2. Quòd mulieri pro securitate dotis allatæ, spectato communi jure Cæsareo, constituatur donatio propter nuptias *Ein gegen Widen*. Habet autem hoc privilegium res vxori in recompensationem & securitatem dotis constituta, vt à marito abalienari non possit, ne quidem consentiente muliere: nisi hæc duo concurrerent, quòd & iterum post lapsum biennium consensum præbeat, & dotem ex aliis bonis mariti recuperare possit: sin autem hæc duo, vel alterum eorum absit, tunc mulier etiam in rem actione instituta vindicare poterit, quòd alienatum est. *Authent. suo à me. C. ad Senat. Conf. Valerian. auth. Præmissa. C. De donatione ante nuptias.*

Præterea licet mulieri pro dote allata omnia bona mariti tacitè obligata sint, tamen specialiùs ea res, quæ Vxori dicto modo propter nuptias donata est, adeò, vt marito ad inopiam vergente, eam à possessoribus vindicare possit. *Auth. vbi ad huc. §. 1. seq. C. de iure dot. l. assiduis. 12. C. qui potiores in pignore.*

3 Adverte 3. Cùm leges resistent, quominus mulier validè consentire possit, in alienationem dotis, aut rerum propter nuptias donatarum, seu, vt aliter dicam, cùm resistent, ne alienatio dotis, quamvis cum consensu mulieris facta, & suo etiam modo donatio rei propter nuptias donatæ valeat, primò ac directè spectant commodum priuatum mulierum, quippe quæ faciliè induci ac lædi possunt; indirectè autem & consequenter spectant ad publicum bonum, quatenus omnes leges, si iustæ sint, ad Reipublicæ vtilitatem referuntur. Ex hoc collige, quòd mulier non peccet, neque puniri possit, per se loquendo, si in talem alienationem spontè consentiat, quia leges commodum mulieribus & auxilium afferre, non autem obligationem aliquam afferre intenderunt.

5 Nota I. Si mulier in alienationem rei dotalis, vel propter nuptias donatæ cum juramèto consentiat, renuntians priuilegiis suis efficaciter, etiam ex iustitiæ virtute ob-

ligationem contrahit; Ita sumitur ex *hoc c.* Est autem quàm maximè hic aduertendum, quòd dico. Si mulier in alienationem dotis jurata consentiat, eam ex iustitia quoque, & quidem efficaciter obligari; nam inprimis certum est, quòd obligetur ex virtute Religionis; cùm alienatio ista & renuntiatio priuilegiorum mulieri sub peccato prohibita non sit, vt paulò ante dixi, atq; insuper alienationem suam & juramentum mulier absque peccato seruare possit, consequenter etiam debeat. Additum verò est, quòd mulier ex iustitia obligetur, adeòque plus quàm si usurario usura promissa sit. Dein additum est: efficaciter eam obligari, ita, vt nec in externo, nec in interno foro remedium exceptionis, aut rescissionis competat, per se loquendo, ideòque plus obligatur mulier, quàm is, qui dolo inductus, aut per vim iniustam adactus in alienationem, aut contractum quemlibet consentit; nam is efficaciter non obligatur, sicuti ex *hoc c.* colligitur, quandoquidem juramenti relaxationem impetrare, & postea vel excipiendo, vel rescissionem contractus petendo, defendere se possit, vt supra dictum in *c. Si verò. §. hoc tit.*

6 Corollarium. Pactum siue contractus, qui lege ipsi resistente ob priuatum commodum irritus est, per accessionem juramenti cõfirmatur, ita vt etiam in externo foro actio tribuatur, secundùm doctrinam. *Gl. in §. 2. verb. Seruari. ibidem Ioann. Andr. de Pact. in §. Imol. hic. n. 13. §. 16. & esse communem doctrinam, testatur Abbas hic. num. 8. eamque docui l. 4. Tract. 3. c. 8. n. 1.* est autem magnus iste effectus, si pactum, quòd alioquin irritum esset, accessione juramenti confirmetur, quia obligatio eius indubiè transibit ad hæredes, & successores propter vim pacti, cùm alioquin obligatio, quæ juramento propria est, ex religionis virtute personalis sit, id est personam jurantis tantum afficiens.

Interim tamen valdè credibile est, quòd secularis potestatis limites non excedat pactio-

paſſionem aliquam, quæ bonis moribus & iuribus incommodare videatur, ad eò infirmare, vt neque iuramenti acceſſione confirmetur, & quidem non tantum per vim paſſi, ita, vt ex iuſticia nulla actio, vel obligatio oriatur, de quo minus dubitari poteſt, & docui *hoc tit. tract. 3. c. 2. num. 4.* ſed ita vt neque ex religionis virtute obligatio, quæ iuramenti propria eſt, oriatur; idque duobus modis. 1. Si ipſam paſſionem, quamuis iuramento confirmatam, lex ſeu ſcripta ſeu per conſuetudinem ſtabilita tanquam turpem prohibeat, v. g. vt aliquis promittat puellæ nuptias, ſi vxor ſua moriatur; vel quòd dolum, furtum, aut iniuriam aliam, ſi in futurum committatur, remittere velit. Tametiſi enim vxore mortuâ aliam ducere, aut dolum, vel iniuriam commiſſam remittere turpe non ſit, tamen ad talia ſe obligare, turpitudinem continere videtur, & peccandi cauſam præbere.

Simili ratione in cauſa criminali non teſtificari liberum eſt, ſed per paſſum & iuramentum ſe obligare ad non teſtificandum, vtroque Iure turpe reputatur, id eò non obligatorium, vti hîc *Alex. de Nauo* notauit *num. 32.* & videri poteſt, *Imola n. 40.*

Alter modus eſt, ſi lex Canonica, aut civilis executionem paſſi ſeu promiſſi, quamuis iurati, tanquam illicitum prohibeat; eò, quòd communi bono incommodare videatur, prout explicauit *cit. Tract. 3. c. 11. num. 9.*

## CAPITULUM XXIX.

Sicut.

## PARAPHRASIS.

Si conſtet, quòd H. bellum iniuſtum gerat aduerſus I. induci debet, vt vniuerſa, quæ per vim abſtulit, eidem reſtituat, qui proinde I. etiam abſolui debet à iuramento, quòd ob metum præſtitit; quòd ſi H. recuſauerit, per ſententiam excom-

municationis compellatur, & terra eius interdicto ſubijciatur.

## S V M M A R I V M.

1. Erepta iniuſto bello reſtituenda ſunt, non obſtante federe, quòd alter etiam iurata ſed coactus inijs, & à iuramento abſolui debet, ſi ſaluo ſcandalo poteſt.
2. Fides etiam iurata ſeruanda non eſt ei, qui viciffim datam non ſeruat, vel ſeruare paratus non eſt.

**N**OT. vnic. Quæ bello iniuſto erepta ſunt, reſtitui debent, non obſtante federe, quòd alter coactus inijs, immò à iuramento fœderis abſolui debet, vt etiam conſtat *ex c. Si verò. 2. hoc tit.* dummodo notoria ſit iniuſticia ex parte vnus pacifcentium.

Cauendum quoque eſt ſcandalum, ſi videlicet Chriſtianus à iuramento abſoluatur, quòd ab eo infidelis, quamuis per vim, extorſit; quare talis abſolutio non eſt danda, præſertim in publico fœdere, ſicuti dixi *l. 2. Tract. 3. c. 12. q. 5.*

## §. Iuramentum.

**I**uramentum, quòd ex mutuo conſenſu à pacto Ioannes edidit, ipſum non obligat, ſi alter, cui præſtitum eſt, ſeruare negligat, quòd promiſit.

Not. vnic. Fidem etiam iuram aliquis ſeruare non tenetur ei, qui fidem à ſe viciffim datam violat, aut ſeruare paratus non eſt. de hoc dictum eſt *in c. 3. hoc tit.*

## CAPITVLVM XXX.

Nimis.

## PARAPHRASIS.

Laici contra jus diuinum agunt, quando viros Eccleſiaſticos nihil temporale (videlicet in feudum) ab ipſis habentes ad fidelitatis iuramentum adigunt. Quare Innoc. III. tale iuramentum præſtari prohibet; quia ſecundum Apoſtolum ad

d d d 3

Roma-



Romanos 14. Seruus Domino suo stat, vel cadit.

S Y M M A R I V M.

1. Immunitas Ecclesia non tantum juris humani, sed etiam diuini est.
2. Tria sunt genera iuramenti fidelitatis. I. Clientela, Lehenspflicht. II. Officij & administrationis: Dienstplicht. III. Subiectionis Landschuldigungspflicht. Prima duo etiam in Clericum cadunt: non autem tertium erga saecularem.
3. Resoluitur questio, an pagus situs intra territorium Ducis, censendus sit feudalis, vel liber seu allodialis.

**N**OT. Vnic. Immunitas Ecclesiae non tantum iure humano, sed etiam diuino constituta est, vti hic docet *Abbas n. 3. A. lex. n. 7. & docui l. 4. tr. 9. c. 8. n. 1.*

**2** Aduertendum hic. Quod iuramenti fidelitatis tria genera sint, quorum duo prima iuramentum non absolute, sed respectiue subditum faciunt, & ideo in Clericum comparatione domini saecularis cadere possunt; non item tertium, quod absolute subditum arguit. Primum itaq; est clientelare. *Lehenspflicht*/ quod Vasallus Domino praestat, idq; in Clericum cadit. *c. 6. & 7. de foro compet.* Alterum ratione officij & administrationis *Dienstplicht*/ quod Officiales & Praesides Curiae v. g. Regi aut Imperatori edunt, de quo dixi *cit. tract. 9. c. 5. n. 3.* Tertium est iuramentum subiectionis *Landschuldigungspflicht*/ & hoc in Clericum non cadit erga saecularem.

Quaeritur hic, si pagus v. g. potius sit intra territorium Ducis, censendus sit feudalis, an liber, seu allodialis.

**3** *34. Cum Imol Ioann. Andr. & Abb. hic,* quod liber praesumatur in dubio, quia seruitutes tam in rebus, quam personis superinductae sunt; & prius ac naturalius est rem liberam esse, quam seruituti subiectam, idque maxime docendum est in bonis immobilibus Ecclesiarum; quippe cum foundationes pie ob Dei honorem plenissime factae censentur, sicuti notat *Rosenthal in Synopsi de feud. c. 12. n. 12. & 59.*

Verumtamen si pagus v. g. aut Castrum

sit intra territorium Ducis, alteriusve Domini praesumitur territoriali eius Iurisdictioni subiectum, ita vt tamen Dominus pagi habeat Iurisdictionem immediatam seu inferiorem in subditos, tamen ab ipso appellari possit ad Ducem, vti notauit hic *Hof. & Abbas n. 1.*

Potest tamen esse Ciuitas, aut pagus intra territorium Ducis, & non de territorio, sed praescriptione, seu priuilegio, aliaue concessione liberum, tunc vero pagus cum adhaerentibus possessionibus, quantumvis modica terra sit, censetur proprium territorium, vt proinde eius Dominus territorialem quoque Iurisdictionem obtinere dicatur, *rest. Andr. hic. n. 4. & tradit Gl. in Clemon. ne Romani. verb. Diocesis. de elect.*

Simile est, quod omnis Ecclesia intra Diocesis censetur esse subiecta Iurisdictioni Episcopi. *c. Omnes, 10. causa. 16. q. 7.* nisi priuilegio, aut praescriptione aliqua exempta demonstraretur; tum vero licet sit intra Diocesis, non tamen est de Diocesi; imò locus exemptus intra Diocesis (vt docui *l. 1. tract. 4. c. 11. n. 5.*) equiparatur loco extra Diocesis. Quod si exemptio etiam se extendat ad populum, tunc quasi propria Diocesis censeri potest.

C A P I T V L V M XXXI.

Petitio.

P A R A P H R A S I S.

Vacante Ecclesia Antiochenâ Princeps Ciuitatis cum sibi à conspiratione timeret, à Canonice iuramentum extorsit, quod contra ipsum agere nolint. Dubitauerunt Canonici, num vi huius iuramenti impediti essent, quo minus iura Ecclesiae suae contra Principem tuerentur. Negat Innoc. III. ita esse intelligendum quasi pro iuribus Ecclesiae, imò propriis ac singularibus legitime defendendis contra Principem stare non possint, sed intelligi debere ait, quod abstinendum ipsis sit à machinatione omni, per quam laesio Principis personae, aut principatus eius inferretur.

S V M M

## S V M M A R I V M.

1. *Iuramentum quantumvis generalibus verbis editum, non extenditur ultra intentionem jurantis. Intentio autem colligitur ex causa & occasione jurandi, materia subiecta & adiunctis.*
2. *Conspiratio quid sit, in quantum accipitur in malam partem.*

**N**OT. I. Iuramentum quamvis generalibus verbis editum extendi non debet ultra intentionem jurantis, quatenus ea ex causa & occasione jurandi, materia subiecta, & adiunctis colligi potest. Ita sumitur ex *c. Veniens. 16. hoc tit. & ex isto c.* Nam causa & occasio jurandi erat, quia agebatur de illicita conspiratione, quare licet generatim editum fuerit iuramentum, quo Canonici contra Principem agere nolent, inde colligitur, quod nihilominus jura Ecclesie defendere possent, imò etiam propria, quandoquidem de hoc non agebatur, ut iuribus suis renunciarent; sed ne iniusta læsio fieret occasione conspirationis. quòd si verò ex jurandi occasione, & subiecta materia colligi potuisset, etiam ad illa iuramentum se extendisse, ut quia Canonici pro suis iuribus egerant contra Principem, ac inde inimicitia contracta esset; tum in generali verbo non agendo contra Principem abstinere vellent, cuiusmodi iuramentum obligatorium foret, nisi quod relaxationem meretur, si per vim extortum esset.

Duo tamen circa hunc casum aduertit *Abbas hic.* 1. Quòd tale iuramentum de non agendo contra alterum, intelligi debeat quoad causas & lites, quæ tum ortæ erant, non item ut se extendat ad orituras. *Argum. c. 2. de renuntiatis.* 2. Si quis alteri iuravit, quòd contra illum stare, aut agere nolit, non esse in dubio præsumendum, quòd etiam in propria causa agere nolit; nam hæc esset renuntiatio juris, siue donatio, quæ non præsumitur. *l. Cum de indubi- to. 28. ff. de probat.*

2. Not. II. Conspiratio quatenus in ma-

lam partem accipitur, est quorundam confederatio seu consensio aduersus personam alicuius vel dignitatem eius; interdum tamen accipitur in bonam partem, ut videre est apud *Ciceron. l. 2. de off.* ubi ait, quòd magnas utilitates adipiscamur conspiratione hominum.

## CAPITVLVM XXXII.

## Ex literis.

## PARAPHRASIS.

**G.** à Sede Apostolica impetrauit literas ad Iudices contra E. ut vsuras restituat in processu litis, Iudices ex dictis testium productorum ex parte G. sufficienter colligere non poterant summam sortis mutuo datæ: constabat tamen de terra per modum hypothecæ subiectæ ipsi E. atque insuper ex fama, quasi notorium erat, quòd E. ex eadem terra sortem & amplius accepisset, quare ne occultata veritate iustitia succumbat, Papa approbat consilium Iudicum, videlicet, ut partes iuramentum de veritate dicenda per censuram præstare cogantur, remotâ appellatione.

## S V M M A R I V M.

1. *Fama sola, nisi aliis adminiculis fulta sit, non probat plenè.*
2. *In causa vsura, si ea civiliter agatur & vehementes præsumptiones adsint contra creditorem velut usurarium, potest ipsi vel debitori in supplementum probationis iuramentum deferri.*
3. *Iuramentum de veritate dicenda, & calumnia, si initio litis exactum non est, in progressu exigere poterit, si quidem necessarium fuerit.*

**N**OT. I. Fama nisi aliis adminiculis fulta sit; non probat plenè; alia autem adminicula & præsumptiones in causa vsuræ esse solent, si creditor vsuras exercere consueuerit. *c. Illo. 4. de pignoribus;* vel si mercatores communiter in eo loco vsuras accipere solent, quâ de re *Ioan. Andr. hic. n. 3. Abbas num. 8.* ubi disputant num ex

con-

consuetudine, quòd creditor communiter cum vsura mutuuum dare solet, sufficiens præsumptio fiat contra eum, quòd etiam hac vice ita mutuuum dederit.

2 Ratio esse debet, quòd Iudex ex variis circumstantiis facti, & personarum, animum suum informare debeat, quòd si præsumptiones vehementer vigeant contra creditorem & causam vsurarum, ciuilitè agatur ad restitutionem, poterit saltem iuramentum in probationis supplementum deferri debitori seu actori; postulari etiam potest à creditore, vt librum rationum exhibeat.

*Clem. 1. §. Caterum. de vsuris.*

3 Not. II. Si iuramentum de veritate dicenda ( idèmq; sentendum de iuramento calumniæ ) in principio litis exactum non fuit, postea in progressu exigì potest. *c. 1. de iuramento calumnie. n. 6.* Id verò intelligi debet, si necessarium esse videatur, quia in iudicio res notoria non est, nec per probationem, nec per confessionem parit, & hoc est intentum huius Capituli, vt *Alex. hic notat n. 43.*

### CAPITVLVM XXXIII.

#### Intellecto.

##### PARAPHRASIS.

Cum Innoc. I I I. intellexisset, quòd Rex Hungariæ alienationes quasdam in præiudicium Regni & contra Regis honorem fecisset, rescripsit, vt non obstante iuramento, si quid edidit de alienationibus non reuocandis, eas reuocare ne intermittat; cum enim ad hoc teneatur, & in coronatione sui iurauerit, quòd iura regni & coronæ honorem illibata seruare velit. Sequitur, quòd illicitum & non obseruandum sit iuramentum, si edidit de non reuocanda alienatione.

##### SUMMARIVM.

1. Rex non potest alienare bona, ac iura pertinentia ad coronam Regni.
2. Facta à Rege alienatio inualida est, & reuocabilis à proceribus Regni vel Successore.

3. Excipiuntur quidam casus, in quibus licet Regi aliqua de bonis regni alienare. In alienatione prohibita Prælati, non comprehenduntur modica.

4. Alienatio fiondi in Ecclesiam facta censetur absoluta, sine reseruatione dominij directi vel superioritatis.

NOT. vnic. Rex non potest alienare bona ac iura pertinentia ad coronam Regni; nam regnum certâ lege à populo translatum est in vnum Regem, videlicet quoad iurisdictionem, administrationem, & conseruationem iurium; quæ dicitur lex fundamentalis originaliter proueniens ex pacto inito inter populum, ipsosque ordines Regni, ac regem, idèoque sic comparata est, vt à Rege tolli, mutari, aut relaxari nunquam possit.

Ab eiusmodi fundamentali lege, secundum quam forma regni instituta censetur in perpetuum, ac immutabiliter, differunt capitulationes, quæ in electione Regis, aut Imperatoris proponuntur ab Electoribus; videlicet conditiones quædam, quæ si ab electo acceptentur, & iuramento, vt fieri solet, confirmentur, ips per modum contractus obligatur, sed ad successorem non transeunt.

Ampliari debet norand. Quòd talis alienatio, quæ à Rege fit, nullius roboris esse debeat, vt proinde à Proceribus Regni, vel successore reuocari possit, vt notat *Felin. c. Ad audient. n. 4. de prescript.*

Excipiendum verò 1. Quòd Rex ex consensu Procerum ob iustam causam alienare possit, etiam in externum transferendo iura ac bona Regni, v. g. post bellum fœdere inito cum hoste ob necessitatem, ita *Rosenthal de fendis. c. 5. conclus. 12.*

Excipiendum 2. Quæ modica, aut parum vtilia sunt Regno, Rex ex iusta causa alienare potest, non requisito Procerum consensu, ita *Innoc. hic. & Abbas n. 7.* prohibita est enim Regi alienatio, per quam iura Regni ac dignitas Regis læditur seu imminuitur, ab alienatione modicorum talis læsio non contingit, aut saltem non æstimatur. *c. Terrulas. 3. 12. g. 2. vbi apparet alienatio-*

Excipiendum 3. Quòd Rex bona aliqua regi, ex iusta causa in feudum dare, vel aliter concedere possit, ita vt supremam jurisdictionem & dominium à se non abdicet, est tamen hinc exactè distinguendum; vel bona antea infeudari solebant, tunc eodem modo infeudari, vel alio modo concedi possunt, cum hæc non censentur esse noua alienatio; Vt dixi *l. 3. tract. 3. c. 10. n. 2. §. denique.* vel antea infeudari & concedi solita non sunt, tunc attendendum partim ad grauitatem causæ seu necessitatis, ob quam concessio fiat, partim ad læsionem seu imminutionem iurium seu reddituum, est enim receptum apud *Canonist. in c. 2. de supplem. negligentia Prælatorum in 6.* quòd alienatio sine consensu Procerum fieri non possit cum magno præiudicio dignitatis Regiæ. Verùm ordinariè non præsumitur esse graue præiudicium ac læsio, si fiat cum reseruatione superioritatis ac supremi domini directi, cuiusmodi reseruatio semper intelligi debet, tamen si in concessione non exprimitur, præterquam si ex modo donandi, siue ad iunctis apparet, alienationem ex causa iusta ob publicum bonum factam esse plenè, ita vt omnis superioritas & directum etiam dominium abdicatum fuerit, qua de re *Couarr. in pract. qq. c. 4. n. 1.*

4 Corollarium. Si à Rege, alioue Principe aut Domino alienatio fundi in Ecclesiam facta sit, censei debet absoluta ac plena sine reseruatione domini directi aut superioritatis in bona. *argumento. c. Nouerim. 6. causa. 10. q. 1. & docet gloss. in c. Solita. 6. verb. suscipiunt. ibidem Felu. n. 5. de maioritate. licet contradicat Couarr. n. 2.* cuius tamen sententia vera est, si ex consuetudine regni appareat, quòd omnia Ecclesiarum bona immobilia supremæ Imperat. aut Regis jurisdictioni subdita sint, vel ad eundem, tanquam supremum directum eorum dominum appellationis causâ denique deuoluantur.

Ad extremum aduerte in textu, quòd duæ causæ ab Innocent. afferantur, ob quas Rex alienationes reuocare debeat, videlicet quia iurauit se non alienaturum, & quia

jus alienandi non habet, verùm prior causa sola non sufficeret, quemadmodum si aliquis iuret se testamentum non reuocaturum, & postea reuocat, is periurus est, sed reuocatio valet, vt docui *l. 2. tract. 3. c. 8. n. 5.* quamobrem altera ratio adiuncta est, quæ & per se sola sufficit, quòd Rex, etiam seculo iuramento, alienandi potestatem non habeat.

## CAPITVLVM XXXIV.

## Mulieri.

## PARAPHRASIS.

Mulier virum petebat coniugii iure, iurans quòd secum verbis de presenti contraxisset, sed quia viro negante mulier in probatione defecit, ipse absolutus à Iudice fuit. Hoc casu respondet Gregor. IX. Quòd Iudex licentiam mulieri dare non debeat alteri nubenti, ne periurii ipsemet Pontifex auctor esse videatur, sed nec nubere volentem prohibere debet Iudex, ne si fortè falsum iurauerit, matrimonium legitimum impediatur, quare conscientia suæ relinqui debet.

## SUMMARIUM.

1. Si pars agens præmissio iuramento confessionem faciat de contracto matrimonio, & in probatione deficiat, accessus ei ad alias nuptias non est prohibendus, neque tamen etiam suadendus, sed potius contrarium.

NOT. Vnicum. Si pars agens confessionem iuramento præmissio faciat, quòd matrimonium contractum sit, & in probatione succumbat, non est ei prohibendum, quominus ad alias nuptias accedat, non est tamen id ipsum suadendum sed potius contrarium, vt absistat. Prioris partis ratio est, quia confessio actoris non facit, vt sententia contra reum feratur, imò non obstante confessione eius, quamuis iurata,  
 e e e pro-

probata non sit, sententia fertur contra a-  
ctorem pro Reo.

Dices si mulier hæc matrimonium cum  
viro verbis de præsentis non contraxerat, fuit  
periura; si autem contraxerat, tunc poste-  
rius matrimonium est irritum ac sacrilegum,  
ergo necessario conuincitur esse grauis cri-  
minis rea.

Resp. ita esse, sed cum nesciatur, nec de  
ea ostendi possit, verène, an falsò jurarit,  
relinquenda est conscientia suæ, sicut in  
textu dicitur. Posterioris partis ratio est  
propter suspicionem periurii, vti ex textu  
colligitur.

## CAPITVLVM XXXV.

## Clericus.

## PARAPHRASIS.

Aliquis Clericus iurauit, quòd statuta Ec-  
clesiæ suæ edita seruare vellet; post ali-  
quot verò annos per idem, quòd antea  
præstitit iuramentum, promisit se serua-  
turum esse statutum, quòd postea editum  
erat. Hoc casu resp. Gregor. IX. licet  
is malè fecerit, statutum transgrediendo,  
tamen ex vi iuramenti ad eius obligatio-  
nem non teneri, neque ad obseruatio-  
nem obligatum.

## SUMMARIUM.

1. Non potest aliquis facere, vt iuramentum  
ante præstitum ultra limites materiæ suæ ex-  
tendatur.

**N**OT. Vnicum. Non potest aliquis effi-  
cere, vt iuramentum antè præstitum  
ultra limites materiæ suæ extendatur, exem-  
plum habes hîc: aliquis iurauit, quòd statu-  
ta Ecclesiæ suæ seruabit, is promittendo ef-  
ficere non potest, vt virtute prioris iuramen-  
ti obligetur ad statuta, quæ post iuramen-  
tum edita sunt. Si tamen intentionem ha-  
beat, id denuò jurandi, ita vt sicut priùs ju-  
rârat se seruaturum statuta, quæ ante erant,  
ita jâ jurare velit in statuta, quæ postea facta  
sunt, tunc obligatur non ex iuramento prio-

re, sed posteriore. Veruntamen hoc casu  
non extendit iuramenti prioris obligatio-  
nem, sed aliud iuramentum edit simile prio-  
ri; idem cernere est in voto, si jurâsti, te om-  
nibus diebus veneris jeiunaturum, non  
potes efficere, vt obligatio voti prioris ex-  
tendatur etiam ad dies Sabbathi, potes ta-  
men aliud votum edere, quo obligari velis  
ad jeiunandum in Sabatho, vti antè te obli-  
gâras ad jeiunandum die veneris.

Quæritur. Vtra intentio in dubio præfe-  
renda sit? videri potest eam præferendam  
esse, quòd voluerit obligari ex primo iura-  
mento, ita vt intentio effectum non ha-  
beat, propterea quòd iuramentum strictè  
interpretandum sit. *arg. c. Cum Clerici. de  
verb. sigf.* Sed contrarium placet, præsumen-  
dum esse, quòd nimirum posteriorem in-  
tentionem habuerit, ita vt obligetur ex nouo  
iuramento. Nam actus potius intelligi de-  
bet, ita vt valeat, quàm vt pereat. *c. Abbat.  
25. de verb. signif. &* potius præsumi debet,  
quòd aliquis se obligare voluerit modò pos-  
sibili, quàm impossibili, cum impossibile  
nulla sit voluntas.

Ad motium contrarium dico, si ad sit  
aliqua obligatio iuramenti, eam in dubio  
restringendam potius esse, non extenden-  
dam: at verò si constet, quòd aliquis volue-  
rit se iuramento obligare, tum is modus in  
dubio præferri debet, secundum quem obli-  
gatio subsistit, & idem dicendum de voto,

## CAPITVLVM Vltimum.

## Iuramentum.

## PARAPHRASIS.

Quando Iudex parti iuramentum defert, ab  
ea reculari non potest, sin autem pars par-  
ti iuramentum deferat, pars, cui defertur  
iuramentum, recusare potest vel referre,  
in actione tamen famosâ Reus conuen-  
tus iuramentum referre non potest.

## SUMMARIUM.

1. Iuramentum litis decisuum, à iudice obla-  
tum parti, ab ea præstandum est, nisi causam  
justam

justam afferat, cur illud prestare non debeat. Potest tamen iuramentum alteri parti referre.

2. Potest hoc iuramentum, quod pars parti deferret, ab eadem reuocari, nisi iudex iuramentum ita delatum approbet.
  3. Limitatur procedens doctrina.
  4. In actione famosa actor Reo deferre iuramentum potest, si in ea transigere licet, v. g. quando civiliter agitur ad proprium inter esse.
  5. Potest idem iudex deferre Reo in sui purgationem, si actor deficit in probatione, non tamen actori.
  6. In actione famosa criminaliter intentata, actor Reo deferre iuramentum potest in causis, quibus transigere licet.
- Et quis effectus iuramenti à Reo prestati!

**NOT. I.** Si Iudex parti litiganti ex officio iuramentum litis decisivum offerat, jurare cogitur. *l. Generaliter. 12. §. Sed iuramento. C. de rebus creditis. dixi de hoc l. 4. tract. 3. c. 5.*

Excipe 1. Nisi causam afferat pars, cur jurare non debeat, eam verò Iudex examinabit, ita ut si satis iusta non videatur, reuocare possit, concessâ tamen appellandi facultate, si pars litigans se iniuste grauari existimet. *cit. §. Iuramento.*

Excipe 2. Quòd pars litigans, cui à Iudice iuramentum deferretur, possit alteri parti litiganti referre, seu dicere, si iureiurando litis decidenda sit, ut pars altera juret; sic colligitur ex *cit. §. iuncta. gloss. verb. vel referatur.*

**NOT. II.** Si pars parti iuramentum litis decisivum deferat, simpliciter recusari potest, quare tale iuramentum voluntarium dici potest. *argumento. l. 1. & l. Qui iurasse. 26. §. ult. ff. de iureiurand.* Ratio est, quia tale iuramentum, quod à parte delatum est, & pars altera acceptat, transactionis species quædam est. *l. 2. admonendi. 31. in fine. ff. eod.* transactio autem sicuti & quælibet pactio voluntariam causam habet.

Limitari debet, si Iudex iuramentum à parte delatum approbet, tunc ita de eo sen-

tiendum, ac si necessarium sit, quia pars, cui deferretur, vel jurare debet, vel referre *cit. l. Generaliter. §. Sed iuramento. & l. Manifestè. 38. ff. eod.* ita quidem, ut si Reus sit, qui nec jurare vult, nec referre, pro confessio habeatur. *cit. l. Manifestè.* sin autem actor, tunc Reus absolendus sit. *l. Iusiurandum. 34. §. ult. ff. eodem.*

Sublimitari debet 1. si pars, cui iuramentum cum approbatione Iudicis deferretur, justam causam alleget, cur jurare non debeat, ut dictum est ex *cit. §. Sed iuramento. & c.* 2. Si Reus, cui iuramentum deferretur, probationes paratas habeat, quibus innocentiam suam demonstrat, ad iurandum cogi non debet, sicuti docent DD. apud *Wesenb. in paratulis. ff. de iureiurand. n. 9.* 3. Quòd in actione famosa, videlicet furti clandestini iuramentum referri non potest, cuius rationem assignant DD. hinc & *gloss. in l. Marcellus. 11. & ult. ff. Rerum amotarum.* Quia Reus melius plerumque scit veritatem, quam actor; sin autem tale factum sit, v. g. inflicta alapa, ut uterque æquè eius scientiam habere possit, tunc iuramentum delatum referri nihil prohibet.

Quæres. Num iuramentum in actione famosa seu infamante, ab actore deferri possit reo? Videtur affirmandum ex isto Capitulo: ubi dicitur: quòd Reus delatum sibi iuramentum in actione famosa referre non possit; igitur supponitur, quòd ab actore Reo deferri possit.

Resp. Cum *Abbat. hic. n. 13.* quòd in actionibus famosis actor Reo deferre possit iuramentum, si in iis transigere liceat, videlicet quando civiliter agitur ad proprium interesse, quæ dicitur actio popularis. *l. 1. & seq. ff. de populari act.*

Similiter quoque Reo Iudex iuramentum deferre poterit in sui purgationem, si actor sufficienter non probauit; sed non ita actori, si causa famosa sit, deferri potest, iuramentum in supplementum probationis. Sicut dixi. *l. 4. tract. 3. c. 5. n. 3. dict. 2.*

Sin autem de crimine famoso agatur criminaliter, tunc actor iuramentum Reo de-

ferre potest in causis, quibus transfigere licet, saltem ita, ut præstito juramento repelli debeat; quamuis aliqui deinde de eodem crimine accusare, vel Judex ex officio procedere non prohibeatur, sicuti hinc *gloss. & Alexand. de Neu. tradit. n. 55.* Veruntamen *gloss. in l. agatur. ff. de jurejur.* monet delationem juramenti facilius concedi actori, quam transactionem. Adde his, quæ dixi *l. 3. tract. 4. c. 37. n. 5.*

4. Sublimandum, si actor, qui plenam probationem habere non potest de facto alieno, sed tantum conjecturas, v. g. reperit aliquis instrumentum debiti in arca paterna, quod ponimus plenè non probare; si, inquam, hoc casu, reo deferat in judicio juramentum, isque vicissim actori referre velit, audiendus non est Reus, sed à Judice jurare cogendus, vel pro confesso habendus, sicuti *notat. hinc. Abbas. n. 11.* & sumitur ex *cit. l. Marcell. §. Jurare. ubi gl. marg. & Bart.* doctrinam tradit, tunc demum licitum esse juramentum referre, si is, cui deferretur, scientiam habere possit rei, non item, si sub scientiam eius cui refertur non cadat.

### S. Sanè.

Actore nihil probante, Reus etsi nihil præstiterit, absolui debet: sin autem actor præsumptionem pro se habeat, tunc Judex Reo juramentum deferre potest ad sui purgationem seu innocentiam ostensionem, nisi Judex consideratis circumstantiis causæ & personarum, actori potius existimet deferendum.

#### SUMMARY.

1. Judex actore plenè non probante, juramentum alteri parti deferre non semper debet, sed ubi videbitur expedire, præmissa cognitione causæ.
2. Exigente causâ juramentum, & giudice nolente, potest appellari.
3. Si probationes ex utraque parte concurrant, an & cui sit juramentum deferendum?

**N**Otandum Vnicum. juramentum litis definitum si actor plenè non probaverit, Judex ordinariè Reo deferret, nisi consideratis causæ & personarum circumstantiis arbitratur actori deferendum esse. *Consentit c. vlt. in fine de test. in 6. & explicavi l. 4. tract. 3. c. 5. & videri potest gloss. in l. In bon. fidei. C. hoc tit.*

Quæritur 1. An Judex, si actor plenè non probaverit, semper juramentum alteri parti deferre debeat? Resp. non semper, sed si expedire seu ad rem facere videatur, præmissa cognitione causæ, *cit. l. 3.* Cauere etiam debet, ne ei deferat, qui rei cognitionem non habet, aut qui facillè peieraturus est, imò actor, cui juramentum in supplementum probationis deferretur, debet esse persona fide digna, & omni exceptione maior, uti hinc docet *Alexand. n. 25.*

Cæterum si causa exigere videatur, ut juramentum deferatur, quia actor aliter probare non potest, v. g. clandestina sponsalia, tunc si Judex deferre nolit, actore petente potest appellari, sicuti docet *Bart. in l. Admonendi. n. 5. ff. hoc tit.*

Quæritur 2. Si probationes ex utraque parte concurrant, an & cui juramentum deferri debeat.

Resp. & Dico 1. Si alter plenè non probavit sed neque Reus innocentiam suam nisi semiplenè ostendit, tunc si Judex juramentum deferre velit, plerumque Reo deferret, uti constat ex *not. huius. §.*

Dico 2. Si actor plenè probavit, videlicet per duos testes v. g. pecuniam mutuò datam esse Caio, Reus autem contrarium probat semiplenè, videlicet reprobando depositionem testium duorum, per vnum testem, qui deponat eo tempore Caium alibi fuisse, hoc casu juramentum deferri nequit, teste *Abbat. hinc. n. 10.* quia plena probatio actoris infringi non potest per contrariam semiplenam, quandoquidem in iudicio is obtinet, qui plenius probavit. *argumento. c. Licet. 9. de probat. & c. In nostra. 3. 2. de testibus.*

Dico 3. Si probationes partis utriusque contrariæ non sunt sed compossibiles, quia actor

actor plene probauit mutuum datum per duos testes, at verò Reus per exceptionem, quòd pactum supervenerit non petendi, probauerit semiplene per vnum testem, hoc casu, cum Reus excipiendo fiat actor, actore autem semiprobande, Iudex Reo iuramentum deferre possit, idèd rectè ait *Abb. cit. loco*, quòd hoc casu iuramenti delationi locus esse possit, c. 1.

## CAPITVLVM I.

## EODEM TITVLO IN VI.

## Contingit.

## PARAPHRASIS.

In quibusdam locis consuetudo viget, vt Prælati, antequam Ecclesiarum administrationem capeant, jurare debeant, se Ecclesiarum ipsarum statuta, & consuetudine obseruaturos, idèdque mos invaluit inter laicos, vt Rectores & Officiales ad Rectorias & officia non assumantur, nisi jurent, quòd statuta seruire velint, cum autem in ijs statutis ac consuetudinibus quædam interdum reperiantur illicita & Ecclesiæ libertati aduersantia, idèd Nicol. III. respondet hîc: quòd iuramentum generaliter editum ad talia se non extendat, sed tantum ad statuta & consuetudines licitas & honestas, quòd si verò expressè jurent, se etiam illicita, aut quæ Ecclesiæ libertati aduersantia sunt, statuta, seu edita, seu edenda, seruaturos, iuramento tali nequaquam obligantur, cum illud institutum non sit, vt esset vinculum iniquitatis.

## S. V. M. M. A. R. I. V. M.

1. Iuramentum de seruandis statutis ac consuetudinibus loci, quamuis generaliter conceptum, intelligitur tantum de licitis, neque presumitur quòd intentio iurantis se extendat ad illicita.

Et si se intentio iurantis extenderet ad illicita, respectu horum iuramentum esset nullum, validum autem quoad licita.

2. Canonici iurans se statuta & consuetudines Ecclesiæ seruaturum? An & quomodo sine periculo periurij possit impetrare priuilegium aduersus statuta?

**N**Ot. vnic. Iuramentum seruandi statuta ac consuetudines loci, quamuis generaliter conceptum, intelligitur tantum de licitis, neque præsumitur, quòd iurans etiam quæ illicita sunt, includere voluerit. Sin autem etiam illicita comprehendere voluerit, iuramentum respectu eorum irritum est, validum autem quoad licita, quia vtile per inutile vitari non debet. *Regula 37. in 6.*

Quæstio est. Si Canonici post sui creationem iurauit, se statuta & consuetudines Ecclesiæ seruaturum, num periurus fiat, si dein priuilegium impetat à S. Apostolica sede aduersus statuta.

Resp. cum Rota Romana, novâ decisione *1. de jur.* & Dico 1. Si priuilegium latum sit proprio motu, Canonici eo frui potest, non obstante iuramento, quia in iuramento conditiones suapte natura insunt, salvo jure Superioris. c. *Venientes. 19. ext. hoc tit.* item si res in eodem statu permaneat, seu si mutatio, videlicet nova licentia non superveniat, vt docuit. *4. tract. 3. cap. 9. conditione 4.*

Dico 2. Etsi priuilegium concessum sit ad instantiam Canonici, si tamen in eo clausula adijciatur, non obstantibus statutis contrariis etiam iuratis, iuxta c. *Cum aliquibus 4. de rescriptis in 6.* impetrans eo vti potest.

Dico 3. Si talis clausula adijungi non soleat, tunc rescriptum siue concessio priuilegij ad instantiam dati obreptitia censeri debet, nisi in impetratione mentio facta sit, quòd priuilegium derogeret statuto iurato. Ita *Franc. hîc.* in fine, est enim hæc circumstantia veri, quod si Papæ explicatum fuisset, tale priuilegium non dedisset, aut tali modo non dedisset, sicuti explicauit. *1. 1. tract. 4. cap.*

22. n. 19.

os (†) 50.

ccc 3

CAP.



Licet.

## PARAPHRASIS.

Accidit, vt tametsi mulieres alienationibus dotium aut donationum propter nuptias se non contravēturas jurārint, nec vi, nec dolo adductæ; nihilominus apud seculares Iudices audiantur, si alienationes retardare velint, ideò hic mandat Bonifac. VIII. vt Iudices per locorum Ordinarios sub censura adigantur ad observandum jus Canonicum, quo decernitur, vt tale mulierum iuramentum obliget, ita enim res postulat, vt animarum periculis obviatur.

## SUMMARIUM.

1. Alienatio Fundi dotalis, aut propter nuptias donati, aliās invalida, iuramento mulieris confirmatur.
2. Iudex secularis in foro suo secundum Canones iudicare debet, si agatur de vitando peccato, & ad hoc per censuram etiam compelli potest.

**1** Not. I. Alienatio fundi dotalis, aut propter nuptias donati, licet alioquin irrita sit, tamen per iuramentum mulieris confirmatur, ita etiam sumitur ex c. 2. De pactis in 6. & dixi in c. Cum contingat. 27. extra. h. tit. & tradunt Geminian. & Franc. n. 1. consentit authentica, Sacramenta puberum C. Si adversus venditionem.

**2** Not. II. Iudex secularis in foro suo secundum Canones jurare debet, si agatur de vitando peccato, & ad observationem hanc juris Canonici, per censuram Ecclesiasticam compelli potest.

Porro ratio & decisio ista capituli tantum ostendit, quòd Iudex secularis pronunciare debeat, iuramentum obligare ex virtute Religionis, ideòq; mulieri concedendum non esse, vt alienationem adversus iuramentum suum revocet; num verò ipsa alienatio per iuramentum confirmetur, ita, vt exinde actio iustitiæ oriatur, de hoc jus Canonicum

eum Iudicibus secularibus nihil præscribit, videtur tamen forum civile, & in hoc jus Canonicum imitari. *argum. cit. authent. & dixi tr. 3. c. 8. n. 1.*

## CAPITVLVM III.

Cum in positionibus.

## PARAPHRASIS.

Titius in Prælatum electus cum aliquis ad impediendam eius confirmationem se opponeret, post iuramentum editum de veritate dicenda, positiones, seu responsiones manifestè contrarias fecit. Ea propter Bonif. VIII. ipsum periurum esse declarat, & ideò à jure electionis removendum, præterquam si iusta & rationalis causa eum excuset, sed & idem dicendum, si procurator eius, ipso expressè mandante vel postea sciente & ratum habente, tales contrarias positiones eiusdem nomine fecerit.

## SUMMARIUM.

1. Positiones & Responsiones à litigantibus fieri solent præmisso iuramento.
2. Periurus est, qui assert positiones contrarias, vel contradictorias, nisi in continenti corrigat, vel causam erroris sui per intervallum alleget.
3. Periurus in confirmatione repelli potest à jure electionis sua.
4. Delictum suo nomine patratum ratum habens, censetur illud mandasse.

**1** Not. I. Positiones & responsiones à litigantibus fieri solent, præmisso iuramento. c. 2. De confessis in 6. consequenter si quis positiones, responsionesve contrarias, aut contradictorias afferat, censeri debet periurus, nisi in continenti corrigat; vel etiam per intervallum iustam causam sui erroris allegans.

**2** Not. II. Periurij crimine irretitus in confirmatione repelli potest à jure electionis suæ, quia cum periurus, postquam in beneficio

neficio aut prælatura institutus est deponi possit. *c. Tria. 11. extra hoc tit.* multo magis electus priusquam confirmatus & institutus est, repelli poterit. *argum. c. Quemadmodum 23. extra hoc tit.*

Not. III. Qui delictum suo nomine pertractatum postea ratum habet, illud mandasse juris quâdam fictione censetur. *c. Cum ad sedem. 15. de restit. spol. & reg. 10. in 6.*

## TITVLVS XXV. DE EXCEPTIONIBUS.

**D**ostquam actum est de probationibus, quæ veluti arma sunt, quibus Actor munitus Reum convincit, sequitur, vt de exceptionibus dicatur, quæ sunt defensiones, quibus Reus ictus actoris debilitat & elidit.

### CAPITVLVM I.

#### Denique.

#### PARAPHRASIS.

Si crimina testibus productis per modum exceptionis obijciantur, distinguendum est: vel de ijs nunquam accusati erant, vel accusati, & quidem convicti, aut confessi in iudicio, in priori casu criminum probatio exigenda est, priusquam causa per sententiam terminetur; eò, quòd testes, si criminis infamiâ notati, aut suspicione gravati sint, repelli debeant; in posteriore autem casu statim repelluntur, nisi se ostendant innocentes. Veruntamen in priori casu tamen convicti fuerint de crimine, non tamen pœnâ ordinariâ affici debent testes; cum accusatio contra eos directa nõ fuerit; quare sufficit eos à ferendo testimonio repellere, præsertim si crimen causam, de qua agitur, non respiciat.

#### SVMMARIVM.

1. Ante conclusionem in causa & sententiam latam, contra testium personas excipi potest.

2. Excipe, si sententia non transeat in rem iudicatam, v. g. in causa matrimoniali.
3. Condemnato in priori iudicio, si in posteriori idem crimen obijciatur, permittendum, vt innocentiam suam ostendat, se velit.
4. Ob crimen in tali casu testi obiectum & probatum, si ad causam impertinens sit, puniri testis non debet; non pauci tamen putant, extraordinariè posse, si illud confiteatur.
5. Si crimen ad causam pertineat, testis de eo convictus & confessus puniri potest, si est falsum testimonium, & quidem pœna ordinaria.
6. Vti etiam si crimen sit causa annexum, & testis suscipit iudicalem litem super crimine, & succubuit.

**N**ot. I. Ante latam sententiâ contra testium personas excipiendo, obijci potest; id verò intellige, quòd hæc exceptio opponi debeat, antequam in causa conclusum sit. *argum. Cap. Cum dilectus. 9. de fid. instrum. Et l. Si rem. 29. ff. de Euiet. vbi gloss. marg. ait quòd sententiâ iam latam esse, & mox ferendam esse, paria censentur.*

Excipiendum. Si sententia non transeat in rem iudicatam. v. g. in causa matrimoniali; tum etiam postea contra testium personas obijci posse videtur, quemadmodum & in causa appellationis, exceptio contra testes, sicut & peremptoriæ exceptiones, quæ antea oppositæ non erant, afferri possunt, dummodò malitiosè non fuerint dilata,